
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

NIET UITLEENEN

Fr. Hoffmann

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Arantzi Jul. Caes. decedit 1589

variorum Epistolae

Benedictus Sylvaticus 1639

J. Beverovicius

J. van Scaliger

Gorraeus 1579 -

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

142 F 21
niet plakken
(Boekbandnr. 174866)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

142 F 21 1

I. CÆS. ARANTII

In Librum

HIPPOCRATIS

De vulneribus capitis

COMMENTARIUS.

Cum CLAUDII PORRALII *Annotationibus marginalibus.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex officina IOANNIS MAIRE.
cIↄ Iↄ c xxxix.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Generoſiſſimo

MICHAELI ANTONIO

Salutiarũ Mantæ domino, ex Equeſtri ordine Regis Chriſtianiſſimi, & arcis Lugdun. Præfecto digniſſimo,

Claudius Porralius Medicus perpetuam felicitatem.

NON pauci hercle adeerunt hac tempeſtate mordaces homines (vir Ampliſſime) qui dente livido hoc opuſculum non mordeant, nunc in authorem, nunc in excuſorem dirum virus eiaculantes ſuum: at quandoquidem hi non pepercerunt celebrioribus priſcæ ac noſtræ ætatis Scriptoribus, quis ab eorum pericardio poſſit Siſyphi lapidem eruere? Ne mortalis quidem. Quare valeant cerebroſorum contumelioſæ aſpergines: non pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

pterea doctorum ſcripta ſepulta iacere par eſt. At ſi hic latrare tentaverint, unum eſt quod me non parum conſolatur, ſcilicet quòd non tam vulnerato, quàm loricato capiti ſit dimicatio futura: nam qui commentarii huius author eſt, vir eſt multum de re Anatomica meritus, utpote qui iam duodeviginti annis hanc Medicinæ partem in Bononienſi Gymnaſio Italiæ celeberrimo ſumma cum laude publicè profeſſus ſit, & qui ad unguem noverit vulnerantium pariter ac vulneratorum capitibus mederi. Huius quum ſuperiori anno auditor factus eſſem, mihi ita placuerunt annotationes, quas in Hippocratis libellum hunc nobis dictarat, ut edi in medium poſſe ad multorum commodum exiſtimarem. Eo ductus conſilio, ex multis quæ ſcribenda propoſuerat, ſelegi ea duntaxat, quæ brevi eloquio poſſent lectori ſatisfacere:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

cere : iuxta illud Horatianum in Poëtica ;

Quicquid præcipies , eſto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles , teneantque fideles.

Decerptis igitur veluti ex ampla & opipara menſa delicatioribus cibis, & iis in ordinem congeſtis , his ſcholia quædam adiunxi , ac marginalibus annotatiunculis illuſtravi , non alia certè ratione quàm ut omnibus Chirurgiæ ſtudioſis prodeſſe poſſem. Nam quum tot curandorum in capite vulnerum ſint differentiæ conſtitutæ inter hominum genus , quot fermè ſunt ipſa capita ; pauci certè admodum ſunt qui ſecundum Hippocratis, Medicinæ Dei , decreta manum operi admoveant . Nonnulli ſiquidem aqua vitæ (vulgò dicta) curant vulnera. Alii his omnino contrariam ſequuntur viam , & aqua ſimplici frigida

ſuſurratis nonnullis verbis magna cum populari admiratione dexteram adhibent. Quin & ipſe dum Taurini ſub Exc. Valeriola militarem, Medicus quidam Roma rediens, cui erat caput vulneratum, iuvenem ſolis linteis verbo quodam ſacro delibatis (ut inquiebat) ſe brevi curaturum pollicebatur: at interim dum hæc ſancta libamina operantur, moritur æger. Nulla horum certè, ſi bene video, ſunt Hippocratis præceptum, qui tamen verus Artis magiſter eſt, & à quo tanquam à lympidiſſimo fonte ſunt exhauriendæ probè medendi leges. Quis ergo huic noſtro Arantio multum non tribuat? qui ſpretis aliorum ſectis D. Hippocratis dogmata ſic ſemper amplexus eſt, ut ne latum quidem unguem à Senis mente receſſerit, ut luci lux, meridianus quidam ſplendor huic operi acceſſiſſe videatur. Quapropter (Illuſtriſſime vir) quum hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

hic quantuluſcunque labor eſſet in publicum exiturus, effeci ut tui nominis clypeo munitus exiret, adverſus clamoſos crocitatores: tum ut meam in te obſervantiam cognoſceres maximam, tum ut auſpicato procederet: ac tui celebritate nominis, ex qua non parum pretii & candoris illi acceſſurum conſtat ſatis, commendaretur. Munuſculum, verè ſcio, eſt non ſatis dignum tui nominis celebritate: ſed quod tamen ſympathiam & conſortium quoddam nactum ſit cum tui dignitate officii. Te enim, caput cùm ſis multorum militum, & magnum onus in arce Lugdunenſi hac ætate turbulentiſſima ſuſtineas, ſic ſemper fortitudo & conſtantia concomitatæ ſunt in tam arduo & ancipiti Marte: ſic tibi ſemper prudentia, vigiliæ, diligentia, ſagacitas, & (ut verbo uno dicam) Minerva adfuit: ut quemadmo-

dum caput cætera membra dirigit ad motum & ſenſum ſymmetros, libidinem coërcet, appetitus pravos ratione dirigit, iram, odium, invidiam, proditionem, avariciam & alia huius farinæ: ſic tua ſapientia adeò ſyncerè & liberaliter omnia miniſtrat, ut nihilo à perfecto & integro capite differas. Accedit his & iſtud præterea, quod quum non raro inter milites ſuboriantur iurgia, controverſiæ non leves, & plerunque continui ſolutiones: harum ſaltem veram medelam habebis, atque manum ſalutiferam. Dicatum idcirco hoc tibi meritò opuſculum, æqui, quæſo, bonique conſule, atque hilari & exporrecta (ut dici ſolet) fronte ſuſcipe. Vbi enim gratum tibi fuiſſe intellexero, ad maiora & meliora ſtimulabis. Bene vale, & me (ut facis) ama. E Sanchamundo Lugdunenſium, Cal. Iunii,

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Anno à Virgineo partu milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

NICOLAI MONARDI AMbiani in Zoilum Carmen.

Invide, quid laceras perdocti nomen Aranti?
Quem merito Latiũ tollit ad aſtra ſolum.
Haud aliter Titan obſcuras diſſipat umbras,
Illius eloquio quàm patet Hippocrates.
In quẽ ſi effundas quantumvis dira venena,
Demet is, & proprio nomine dignus eris.

CLAUDII PORRALII Medici Lugdunenſis, in præceptorem ſuum Arantium Ἑξάστιχον.

Humano capiti formã componit ademptam,
Cous dũ Hippocrates vulnus inane replet.
Humano capiti mentem componis, Aranti,
Dum doctè luſtras dogmata ſacra Senis.
Ergo caput totum qui paſſim quærit habere,
Hoc legat, & voti compos abibit, opus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

PROOEMIUM.

QUUM videam, varias admodum eſſe huiuſce tempeſtatis Medicorum ſententias in capitis vulnerum vel fracturarum curatione, quæ à Divini Hippocratis bonorum omnium Parentis doctrina valdè abhorreant: totidemque uſurpari curandi modos, quot non ſolum provinciæ & civitates, ſed ferè quot ſunt Medici: nullaque in re alia magis diſſentire Medicos conſpiciam, quam in capitis vulnere curando; tum quia plærique eorum qui Cauſam reddit ſui inſtituti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

manu curant, Hippocratis doctrinam minimè aſſequuntur, tùm etiam quod clariſſimi viri diætam & pharmaciam profitentes rem parvifacere & in Chirurgos appellatos reiicere videantur: publicæ idcirco utilitati ut conſulerem, operæpretium me facturum exiſtimavi, ſi libri de capitis vulneribus recondita præcepta, quæ aſſidua *a* Hippocratis lectione, longoque rerum uſu mihi explorata fuerunt, ad cognitionem & curationem ſpectantia, Auditoribus meis D. O. M. cœptis favente hoc anno explicarem. Is enim eſt divini Authoris *b* ſcopus, ut de iis præ-

a Hipp. hunc librum eſſe germanum teſtatur Galen. lib. 6. methodi.

b Intentio Hippoc. in hoc opere eſt, de vulneribus tractare: vulnus autem & ulcus eadem ſunt Hipp. Galeno confirmante ſexto meth. At recentioribus plaga recens vulnus dicitur, purulenta vero, ulcus.

præcipuè capitis vulneribus tractet, in quibus calvariæ continuum ſolvitur, vel ſaltem ipſa denudatur, ſimulque cerebrum ratiocinatricis animæ ſedes, obvolventeſque membranæ interdum compatiuntur, & cruor aliquando vel inter calvariæ laminas, vel ſub penitioribus & nobilioribus particulis colligitur: quo fit ut temporis tractu, adveniente putredine inflammatio excitetur, & niſi quis opportune opem attulerit, ſalutis ſpes in anguſto ſit repoſita. Adeſte igitur animis: nam innumera continet particularia præcepta, quæ memoriæ mandaſſe ſatis eſt difficile, niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

iteratis vicibus, ſummaque diligentia aureum Hippocratis hunc librum perpendatis, cuius hoc eſt initium.

TEX-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

TEXTUS.

HOMINUM *capita nihil inter ſe ſunt ſimilia: nec ſuturæ calvariæ omnibus eodem loco: ſed qui in priori capitis parte prominentiam habet (eſt autem prominentia id oſſis quod præter aliud rotundum extat) huic ſuturæ Calvariæ T literam repræſentant, quum brevior linea ſita ſit ſuper prominentiam transverſa, altera per mediam calvariam perpetua in longitudinem ad cervices procedat. Cui prominet pars capitis poſterior, ſuturæ contraria ratione atque in priori conſpiciuntur: nam brevior linea transverſa ſuper prominentiam fertur, longior per mediam calvariam*

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ad frontem perpetua. At ſi caput utrinque & à priori & à poſteriori parte promineat, ſuturæ H literæ ſimilitudinem habent, & ex lineis longiores transverſæ ſuper utranque prominentiam progrediuntur, brevior per mediam calvariam in longitudinem ducta ad utranque longiorem lineam terminatur. Caput quod neutra parte prominet, ſuturas habet ad imaginem literæ X, altera linea transverſa ad tempus tendente, per mediam calvariam in longitudinem altera. Porrò calvaria media duplex eſt, oſſaque eius, & à ſumma parte qua carne contegitur, & ab ima, qua cerebri membranam contegit, duriſſima ſunt, maximè denſa, & lævia, ſed quum à ſumma & ab ima diſcedis ex duriſſimis & maximè denſis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ſis, minus denſa, mollia magis, & cava invenies, uſque ad interiorem partem, qua inter ſe connectuntur: hæc autem maxime cava eſt, molliſſima & ſpongiæ ſimilis. Quin & univerſa calvaria à ſummo, & ab imo, (parte exigua admodum excepta) ſpongiam repræſentat, plenaque eſt carunculæ ſimilis, madentiſque, queve ſi digitis teratur, in ſanguinem vertitur. Diſcurrunt etiam in oſſe venulę tenues, ſanguinis plenę. Quod igitur ad duriciem, mollitudinem, & cavitatem attinet, calvaria ſic habet.

Commentar.

Quoniam affectorum locorum noticia ad affectuum [a] cognitionem, prædictionem, & curationem eſt

a Gal. primo de locis affectis.

eſt maximè neceſſaria, idcirco Hippocrates prius exactam & abſolutam eius partis, (de cuius affectibus ſermonem eſt habiturus) noticiam præbet, & quaſi anatomicam adminiſtrationem oculis ſubiicit, quam ad curationem ſe conferat. Primo enim de varia capitum forma, diverſo a ſuturarum numero & poſitu, oſſium craſſicie & tenuitate, duricie & mollicie, denſitate & raritate, æqualitate & inæqualitate, pro diverſarum partium capitis ratione pertractat. Addit præterea, quomodo oſſa alimentum ſuſcipiant, medulloſamque calvariæ ſubſtantiam vaſa percurrant: quid differat medulla oſſium capitis carunculis

a Amatus Luſitanus centuria ſexta curatione centeſima, aliquas calvarias ſine ſuturis & cõmiſſuris reperiri teſtatur. Quod curationem reddit difficillimã. Celſus vero libr. 8. cap. 1. raro calvariam ſine ſuturis reperiri vult: locis tamen æſtuoſis facilius inveniri. Et id caput firmiſsimum atque à dolore tutiſsimum eſſe teſtatur.

culis quibuſdam ſimilis ab aliorum oſſium medulla, edocet. Quæ partes capitis læſæ maius diſcrimen, quæ verò minus adferant, declarat. *a* Quinque dein læſionum vel fracturarum genera, quæ modos vocat, proponit: ſub quibus diverſæ ſpecies & differentiæ continentur. Sunt autem ſpecies illæ quinque, fiſſio, colliſio, introceſſio, teli ſedes, & alibi fractura quàm ubi plaga eſt: quem modum ſub infortunii nomine (ut ſuo loco dicemus) complectitur: in horum ſingulis docens, quid agendũ, quibus, quando, & quomodo. *b* Quid, hoc eſt, an plaga circa carnem ſectione opus habeat, an circa os abraſione, vel tere-

a Fracturarum ſpecies & differentiæ quinque: quas modos vocat Hippoc.

b Quid ſit circa plagam, & os detectum conſiderandum.

terebra. Quibus verò, intelligite inſtrumentis a, maioribus, minoribus, ſcalpris vel terebris, quorum forma acuta, plana, vel ſemicircularis exiſtat. Quando, temporis oportunitatem indicat. univerſa namque curatio in eo eſt repoſita, ut quia in tempore manum adhibeat, ne poſtquam ſanguis ſub calvaria effuſus putruerit, membranaſque & cerebrum in conſenſum traxerit, adſintque læthalis notæ ſigna, ſerò ſapiat Medicus, ac nullum præſidium manus opera præbeat: intra tridui enim ſpatium (ut dicturi ſumus) ſi ab initio curationem ſuſceperimus, univerſum opus abſolvendum eſt. Per vocem, quomodo, volumus or-

a Inſtrumentorum formam depictam reddidit Tagaultius lib. ſecundo inſtitutionum Chirurgicarũ, Ambroſius Pare, & Iacobus Dalechãpius, in ſuis de Chirurgia tractatibus.

ordinē inveſtigandæ fractu-
ræ indicare, & qua ratione
inventam aperire conveniat:
ne ſi effluxus prohibeatur,
ferveatque in parte putre-
ſcens materia, calvarię, mē-
braniſq; cerebri, certo mor-
tis diſcrimine inflammatio
communicetur. Ne quid au-
tem nos lateat eorum quæ
ad prædictionem, & cura-
tionem attinent, præcepta
ſubſcribit, quibus demon-
ſtrat quantum invicem dif-
ferant diverſæ capitis par-
tes, pari & minori ictu per-
cuſſæ.

Textus.

*Quod ad craſſitudinem & te-
nuitatem, ex univerſo cal-
variæ oſſe id tenuiſſimum eſt &
infirmiſſimum, quod inter fron-*

tem

tem & verticem eſt, idemque pauciſſima & tenuiſſima carne contegitur. Hac item parte plurimum cerebri ſubeſt. Qamobrem ubi vulnus ac telum æquale ſit, vel etiam minus; ictus ſimilis aut lævior; os hac parte magis colliditur, finditur, ac deſidit: in quo caſu res magis ad interitum præcipitat, maiori negotio curatur, & vitatur mors, quàm quum id incidit qualibet alia capitis parte. Ex pari item vulnere, pari ictu, ubi alioquin plaga lethalis ſit, homo celerius moritur quum hac parte calvariæ percuſſus eſt, quàm quum alia quavis: quoniam cerebrum inter frontem & verticem celerrimè ac maximè ſentit id malum, quod accepit os & caro: tegitur enim hac parte oſſe tenuiſſimo, carne item pauca,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ca, plurimumque cerebri inter frontem & verticem continetur.

Comment.

Ure *a* quidem optimo infirmiſſimum eſſe verticem dixit, nam ea pars nuper æditis in lucem non oſſea, ſed membranea potius conſpicitur, quæ plus minus ad annum uſque integrum imperfecta ſervatur, in eamque media & coronalis ſuturæ coëunt: minimum carnis habet, plurimumque non ſolum cerebri, ſed eiuſdem ventriculi ſubiiciuntur, in quibus animales *b* ſpiritus perficiuntur: & propterea nihil mirum, eam particulam pari & minori ictu per-

a Quia vero nervorum oportebat duplicem eſſe materiam, duplex etiam cerebrum extitit: mollius quidem anterius ob ſenſum, poſterius autem durius ob motum ad duriorum nervorum generationẽ. Ideo non eſt mirum ſi in recẽs natis ſinciput palpitare videatur: nã quum os nondum firmatum ſit ob loci humiditatem, ut ad motum cerebri ſurſum deorſumque pellatur neceſſe eſt: nec roboratur ante ſermonis initium.

b Quamquam ſpiritus animales in toto contineantur cerebro, elaborantur tamẽ primo in retiformi plexu, deinde in ipſis ventriculis perficiuntur.

percuſſam cerebro læſionem facilius communicare. Non exiguum etiam momentum habet, calvariam, qua parte ſuturis committitur, facilius findi, collidi, dehiſcere & introcedere, quàm ſi lædatur continua aliorum oſſium ſubſtantia. Addatis præterea, quòd ea parte icti, quendam cerebri *a* reſultum experiri videantur. Quum enim ad rectam corporis lineam percutiantur, ictum præ cæteris graviter recipiunt: anteriori verò, poſteriori, & utroque latere percuſſis, quod ad oppoſitum aliquo modo cedat, id minimè accidit. Illud etiam ad prædictionem ſpectans additur, quod cæteris paribus hac parte icti celeriùs pereant:

a Vt pila palmaria in terram demiſſa, quodam ſecundo impetu ſubſultat, & in aëra defertur: ita quoq; cerebrum, vertice ad lineam rectam concuſſo.

pereant: nam ob ipſius partis caliditatem facilè non ſolùm flammam ſuſcipit, ſed ſubiectas ſimul afficit partes potiùs quàm alia quævis particula.

TEXTUS.

EX cæteris os temporum infirmiſſimum eſt, quod maxilla in tempore cum calvaria committatur, & ſurſum ac deorſum moveatur articuli modo, quod iuxta ſit iter per quod facultas audiendi eſt, quod vena cava, & valida, per tempus intendat.

COMMENT.

ORdine ſuccedunt tempora, quæ præter verticem vulnerata, cæteris maius diſcrimen adferunt, tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

articuli maxillę, tum meatus auditorii ratione, ac etiam arterię, quę per tempora fertur. Addite [a] temporalem muſculum pericranio obvolutum, quod quidem quum membranę duræ ſit ſoboles, ſi inflammationem ſenſerit, oſſi, & membranę eandem communicabit. Temporalis ipſe pręterea muſculus, utpote valido motui pręfectus, inſigni nervorum copia ſcatet, ob acremque ſenſum inflammationi redditur obnoxius, qua contracta cerebrum afficitur. [b] Poſtremò ſi trãſverſum eundẽ vulnerari contigerit, grave convulſionis periculum imminet, nec inter cętera ſectionem (ut alibi) tutò adhibere poſſumus.

[a] Vt exterarum partium muſculi ſub tecti oſsis perioſtio teguntur: ita temporalis muſculus pericranio.

[b] Cynicus ſpaſmus vulgo ſequi ſolet abſciſſo temporali muſculo. nam trahit ad ſe affectam partem alterius maxillæ muſculus integer.

TEX-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Textus.

Ex univerſa calvaria, id quod poſt aures & verticem eſt, robuſtius eſt, & carne continetur copioſiore atque altiore, quàm omne id quod à priori parte eſt. Quocirca ubi vulnera, ac tela paria, ſimiliaque omnia ſint, vel etiam minora, atque homo æqualiter, vel etiam gravius percutiatur, hac parte calvariæ minus finditur & colliditur: ac ſi alioquin ex vulnere homini intereundum ſit, noxa in poſteriore parte exiſtente, diutius trahitur, quum os ob craſſitudinem diuturniori tempore pus contrahat, & inferius ad cerebrum transfundat. Præterea hac parte minus cerebri ſubeſt, & plerunque ex iis qui poſteriori calvariæ parte vulnerantur, plures mortem evadunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

quam ex iis qui in priori. Hyeme autem offenſus diutius vivit, quam æſtate. ubi alioquin ex vulnere, quacunque parte capitis fuerit, interiturus ſit. Vt autem os ſub telo acuto ac lævi incidatur duntaxat, neque findatur, neque collidatur, neque deſidat, in priori ac poſteriori parte capitis ſimiliter accidit. At mors non æque inde ſequitur: neque, etiam ſi ſequatur, ſutura, quæ nudato oſſe in plaga conſpicitur, quacunque parte capitis vulnerata telum ſuturæ inſederit, ad reſiſtendum & ictui & telo infirmiſſima eſt, ut quum maxime, ubi regio inter frontem & verticem, qua caput infirmiſſimum eſt, percuſſa fuerit ad ſuturas quas telum attigerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

COMMENT.

OCcipitis, & quæ ſunt poſt aures particulæ quamvis non ſint contemnendæ, maiores tamen ictus ſuſtinent, tum propter oſſis robur, & pleniorem carnem, tum etiam quòd longiùs abſint ventriculi, quàm partes iam commemoratæ. Addite quod ad poſteriorem partem capitis inclinent, ad baſimque accedant, & ob id quum remiſſiori *a* caliditate ſint præditæ, fluxionibus multo minùs ſubiiciantur: nam illud in calvariæ fracturis curandis præcipuum eſt, ut inflammationē vitemus. *b* Curationis idcirco ſcopus eò di-

a Quēadmodum prius dictum eſt, priores partes capitis humidiores poſterioribus, ita & calidiores ſunt.

b Gal. ad calcē lib. ſexti meth. duas in vulneribus curationes contrarias admittit: unam mitigantem, tempus movendo; alteram exſiccantem. Hac uti poſſumus ubi nervorum diſtentionē, in non contuſis, aut inflammationem non veremur. Illa contra. Sed & contuſa caro raro in pus vertenda, quod in melius reſtitui non poſſit: nam ruptis venis, illa ſanguine extra vaſa cito imbuitur, qui corruptus carnem corrumpere pergit. Hinc dolor & calor ſuperfluus, ex quibus inflammatio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

dirigitur, ut quàm celerrimè ſuppurationem expleamus: ſic enim affectam partem minime inflammari contingit. Medio modo, quod ad diſcrimen attinet, ſe habent vulnera frontis, & partis quę paulo ſupra frontem eſt poſita: nam valido quanvis oſſe muniatur, propter oculos tamen, & cavitates quæ in cerebro ſunt, magis compatitur. Ea inſuper pars poſteriore eſt calidior, eamque ob cauſam inflammationi magis obnoxia. quo fit ut non mediocre diſcrimen adferat: nemo etenim eſt qui neſciat, frontem una cum tota facie, in quocunque, animi & corporis motu, facilè incaleſcere, vociferatione, riſu, ſternutatione; quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

quæ omnia non lævam fluxioni cauſam præbent. Videbitis ſiquidem, aliquando poſt vigeſimum diem , ex frontis , vel verticis vulnere , ferè curatum ægrum periclitari, excitata ob iram, vini potum , venerem , vel aliam ob cauſam flamma. Pereunt etiam hac parte, læſi celeriùs , cæteris paribus , quam in poſteriori parte, ob rariorem ſcilicet & calidiorem huiuſce naturam. Ad hæc ſcitote, adoleſcentes, iuvenes, bilioſoque & ſanguineo habitu præditos, frequentiùs interire , quòd ætates & temperaturæ huiuſmodi animo & corpore ſibi minùs temperent , & ad inflammationem faciliùs inclinent , æ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ſtate præcipuè: *a* nam hyeme minùs periclitantur prędominantium humorum ratione. Æquinoctia tamen in libro de ulceribus magis probantur. Calvaria autem quamvis à lævi telo & bene ſcindente, vel à gravi & contundente interdum lædatur, vel à ſcindente & contundente ſimul, à telo tamen lævi nullo partium capitis diſcrimine, æqualiter dividitur, inæquali quamvis periculo, & mortis celeritate, propter variam (ut diximus) capitis partium naturam: non æquè tamen contundenti reſiſtit. Ubi verò telum ſuturæ inſederit, cæteris partibus ad reſiſtendum eſt imbecillior, à parique & mi-nori

a Quod putredini etiam minus obnoxia ſint vulnera hyeme quam æſtate, ideo minus periclitantur, quum putredo ſit ex calido & humido. Quod de capitis aut ventris vulneribus ſit dictum: nam Hip. lib. de ulc. aliis ulceribus têpus æſtivum eſſe commodius confirmat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

nori ictu perfringitur magis, membranæque & cerebrum facilius compatiuntur. Addite quod circa ſuturas, inſinuatæ membranæ cauſa, ſcalprum, aut terebrum adhibere non licet: quod præter cætera diſcrimen auget. Ubi enim fiſſa, colliſa, vel introcedens calvaria fuerit, in manus opera ſumma curationis repoſita eſt: nam ſi quis paria vulnera ab eodem telo acceperit, alterum frontis, occipitis alterum, ſed poſterius lambdoidem attigerit, ſuturæ ratione anteriori gravius evadet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

TEXTUS.

VVlneratur autem calvariæ os tot modis: ſuntque uniuſcuiuſque modi vulneris, ſpecies fracturæ plures. Finditur os vulnere: a *ubi autem findatur, neceſſe eſt collidi id, quod iuxta rimam eſt, ſi quidem quo telo os finditur, eodem plus minuſve etiam colliditur, idque dum finditur. Hic eſt unus modus. Species autem rimarum variæ ſunt: nonnullæ enim tenuiores ſunt, nonnullæ tenuiſſimæ, ita ut minimè conſpicuæ ſint, nec ab ictu protinus, nec quibus diebus adferre opem liceret; idque hominem ad interitum præcipitat: contra aliæ craſſiores & latiores, aliæ latiſſimæ, quędam longiores, quędam breviores, quędam rectiores, quędam rectiſſimę, alię*

a Hic videtur velle Hippo. nullam fiſſuram abſque contuſione reperiri.

magis

magis aut minus flexuoſę, nonnullę in ſummo, nonnullę altius deſcendunt, nonnullę per totum os uſque ad imum penetrant.

COMMENT.

QUum univerſam hucuſque calvariæ naturam explicuerit, iam cognito circa quod verſari debet ſubiecto, ordo poſtulabat, ut de affectuum eius ſpeciebus pertractarent. *a* Quinque ob id fracturarum ſpecies, quas modos vocat, proponit: quorum primus fiſſio, vel rima dicitur, quæ à gravi & contundente telo, ut lapide, ligno, caſu ab alto, plærumque fieri ſolet: *b* quæ quidem gravia corpora, ubi ſolidæ calvariæ occurrerint, eam teſtacei, vel vitrei vaſis

a Modi ſeu fracturarũ ſpecies quinque, quas ſuperius enumeravit Hipp. tantum ſunt. At Paulo multæ aliæ: quæ tamen ad has tanquam ad ſumma genera reduci poſſunt.

b Fiſsio prima ſpecies deſcribitur.

in modum, findunt, vel rimam in eadem excitant. Harum autem fiſſurarum differentiæ plures exiſtunt. aliæ etenim tenues, aliæ tenuiores, conſpicuæ tamen, quædam tenuiſſimæ inconſpicuę ſunt, a circa initia præcipuè, antequam ſaniem contraxerint. Ad quarum cognitionem perſpicaci opus eſt iudicio, & artificioſa coniectura, quæ à telo lædente, caſu ab alto, ætate, temperatura, ſede capitis affecta, & ſymptomatibus, quæ à læſione contigerunt, deſumenda eſt: Hæc enim ſingula ſtudiosè perſpecta, abſconditarum rimarum noticiam præbent. Aliæ inſuper fiſſuræ latæ, & amplæ, quædam longæ & breves, non-

a Sanie facta, fiſſuræ magis conſpicuæ exiſtunt, tum ob calorem, tum ob pus, dilatantia vias.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

nonnullæ rectæ, aliæ curvæ, pro teli lædentis ratione, evadunt. quædam non ſolùm in oſſe denudato conſpiciuntur, ſed longiùs ſub integra cute productæ ad proximam uſque ſuturam, & aliquando ultra illam, quamvis raró, protenduntur, ut in calvariis valde compactis, ſiccioris habitus, vel ſenectæ ratione. Harum etiam rimarum vel fiſſurarum aliquæ non per totum percurrunt, nonnullæ veró per totum deſcendunt, ubi ſcilicet rima utramque laminam ad membranam uſque ſiderit: cui etiam fiſſuræ additur interdum quod ex concurſu meninx ab interna calvaria abſcedat; ex eiuſque ſegregatione, a-
per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

perta ſeu divulſa *a* vaſa ſanguinem fundunt; quo ſub calvaria collecto, niſi via ad expurgationem facta fuerit, de hominis ſalute conclamatum eſt: non per *b* totum autem intelligit Hippoc. ubi ſola fiſſa ſit lamina ſuperior, uſque ad oſſis medullam, quam carunculis quibuſdam ſimilem eſſe dicebat: & quamvis in ea fiſſura quæ per totum fertur maius diſcrimen immineat, non ſunt tamen quæ ad *c* medullam tantum pertingunt contemnendæ. Si enim inter utramque laminam ſanguis colligatur, viaque ad expurgationem deſiit, flammam in ipſo oſſe ob ſupervenientem putredinem, & tandem abſceſſum, excitabit. Nec mire-

a Vt cerebro ſanguis deferatur à iugularibus internis per latera aſcendentibus venæ multæ per ipſam duram meningẽ excurrunt: quæ ex cõcuſsione facile divelluntur, & frãguntur.

b Quid per totum os intelligat Hippoc.

c Medulla illa carunculis ſimilis apud aliquos tertiam in cranio tabulam efficit. Et vocatur à Gal. ſexto meth. diplois, & à Paulo lib. 6. cap. 90.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

miremini, me abſceſſum dixiſſe inter duas laminas fieri: nam & ex Hippoc. autoritate hoc eodem libro, & longa rerum experientia id mihi comprobatum eſt. Harum rimarum abraſionem ſi quis per initia negligat (quaſi nulla ſit opus rimæ dilatatione) ſed ſolius carnis curam habeat, videbitur quidem aliquot diebus curatio pro voto ſuccedere, tironibus ſcilicet & imperitis ad pauca reſpicientibus, qui de ſalute temere pronunciant, ſed eventus ſtultorum magiſter illos ſerò commonefacit: quum enim ad undecimum, a duodecimum, plus minuſve, diem pervenerint, iam putreſcente inter utramque laminam vel

a Novi unum (inquit Paulus) qui poſt annũ quam affectu conflictaretur, calvaria perforata ſupervixerit.

vel ſupra meningem humore, eidem, & cerebro, putredo communicatur. [a] Hinc febres cum rigoribus inordinatis ſuperveniunt, nauſeæ, vomitus, vigiliæ, deliria, moleſtiæ, anxietates, inquietudines: & ſi plaga iuxta frontem ſit, proximum oculum inflammari accidit, & pleriſque tandem morti iam proximis ſingultus, & oppoſiti lateris reſolutio contingunt. Quod verò ad vulnus attinet, labia concidunt, exigua ſanies, & ea tenuis & cruda, interdum etiam gravè olens emanat, oſque ipſum denigratur: quę omnia innati caloris imbecillitatem facilè commonſtrant.

[b] Singultus & reſolutio morientis ſunt indicia: quibus accedit Hipp. aphoriſmus octavus lib. primi prædictionũ, Vlcus, inquit, ſive antea extitit, ſive exiſtat in morbo cõſiderandũ eſt. Si enim moriturus æger eſt, ante mortẽ aut lividũ & ſiccum, aut pallidum & ſiccũ erit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

TEXTUS.

COllidi etiam os poteſt, quamvis in ſuo ſtatu ſervetur, & colliſo rima non accedat. hic ſecundus. Colliſi verò ſpecies ſunt plures. nam plus minuſve colliditur, & altiùs ac totum os, vel in ſummo magis, & non totũ, & plus minuſve etiam quod ad longitudinem & latitudinem pertinet: ſed nulla conſpectu cognoſcitur qualis ſit & quanta: neque enim ubi quid colliſum eſt, ab ictu protinus, quod colliſum eſt, & malum ipſum oculis patet, ſicut etiam oſſe fiſſo nonnullæ ex rimis quæ longiùs tendunt.

a Secunda ſpecies fracturarum colliſio hic recenſetur, & eius cũ fiſſura diſtinctio. At tamen colliſio proprie non poteſt dici fracturæ ſpecies: nam non ſolvitur in ea continuum, forinſecus ſaltẽ.

COMMENT.

SEcundum modum a colliſum appellat, qui à telo

lo pariter gravi & contundente accidit. In eo tamen à fiſſura differt, quod oſſis ſubſtantia comprimatur vel contundatur, abſque eo, quod eius ſolvatur continuitas: colliſa namque calvaria id experitur, quod ſtanneum vas contuſum, in quo ſubſtantia partis comprimitur, atque introrſum pellitur abſque continui ſolutione: quod infantibus & pueris, ſi ex alto cadāt, graviuſve aliqua re percutiantur, evenire ſolet. de quorum curatione ultimo loco futurus eſt ſermo. Cutis enim ferè integra manet, ſanguiſque effuſus ſub cute colligitur. Harum colliſionum aliæ maiores, aliæ minores ſunt: quędā rectæ, quædam curvæ, nonnullæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

nullæ oblongæ, aliæ ſphæricæ, pro lædentis teli figura, quædam etiam ſolam ſuperiorem laminam *a* ad medullam collidunt, quædam verò utramque ad membranam comprimunt. Harum præterea quædam ab ictu protinus, ubi particula nondum intumuit, conſpicuæ ſunt, aliæ verò ſub integra cute tumefacta latent, ſicut etiam rimæ in abſcondito procedentes.

a Accidit quandoq; ut una duntaxat lamina collidatur, aliquando vero omnes ſimul, ſive duas ſive tres feceris: & eo quidem cum impetu, ut ad duram uſque membranam concutiantur.

TEXTUS.

DEſidit os à ſuo ſtatu in interiorem partem recedens, in quo caſu etiam finditur, alioquin minimè deſideret: abruptum enim fractumque ab alio oſſe, quod in naturali ſtatu ſervatur, in interiorem partem ſecedit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

cedit, ſicque neceſſe eſt quod deſidit etiam ſindatur: tertius hic modus. deſidentis oſſis ſpecies ſunt variæ; nam & plus & minus oſſis deſidit, tum vel altius, vel in ſummo magis.

COMMENT.

a Introceſſio & deſeſsio idẽ.

TErtius hic modus, qui à Paulo Ægineta a deſeſſio appellari poteſt, compoſitus quidam eſt modus ex fiſſura & colliſione. à primoque modo ea ratione differt, quod etſi os fiſſum ſit, nihil tamen in eo introcedit, ſed in ſua natura vel conformatione manet. differt etiam à colliſione: in hac enim quamvis os introcedat, eius tamen continuum non ſolvitur: in deſeſſione autem ſeu introceſſione frangitur,

eo

eo quod oſſa quibus accidit ſolidiora ſint, vel medio modo inter duriciem & molliciem ſe habeant: a duriſſima namque finduntur potius, quam introcedant: quæ vero mollia ſunt, nulla fractura comprimuntur. Introceſſio igitur, de qua eſt ſermo, non mediocrem læſionem indicat à telo gravi & contundente factam, quum in ea non ſolum calvariæ continuum ſolvatur, ſed etiam ita perfringatur, ut aliquæ partes interdum à toto ſeparatæ ad cerebri membranam propellantur, ad internumque ſpatium introcedant, ipſamque meningem comprimant: quæ quidem comminutæ partes, vel ſervata planicie deſidunt, cerebri-

a Duriſſima findũtur ob reſiſtentiam, mollia vero minime: ut hinc colligere liceat fiſſuras magis cõvenire poſteriori parti capitis, quam anteriori.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

rebrique motum *a* impediunt, vel aliquibus angulis & extremitatibus, quaſi ſpiculis meningi infeſtæ ſunt. Interdum etiam particulæ oſſis à ſaxo, vel propter caſum ab alto, perfractæ ſub eo oſſe, quod in ſua natura manet, ita propelluntur, ut aliqua ex parte lateant: difficillimamque manus operam reddant, & probè exercitatum artificem requirant: dubio enim procul, ſi perfractæ partes membranæ infeſtæ relinquantur, ſpem in anguſto reponunt, eoque magis ſi ſaniem expurgari prohibeant; ſin minus, non eſt temerè admovenda manus, ſed naturæ committendum opus; niſi ob eam quam prę-

a Quemadmodum cordis corpus virtute ſua diſtentum & contractũ vires in proprias materias attrahit & expellit; pari modo cerebrum, ubi ſtatuerit ſpiritum animalem in ſuis contentum ventriculis particulæ cuipiã tranſmittere, motu ad id idoneo incitatum, diſtribuit ipſum, & elaborat, ut ſi quando motus hic intercipiatur ob comprimentia oſſa, & diſtributionem & elaborationem violari neceſſe fit. Hic autem motus manifeſte apparet in vulneratis quibus detectum eſt cranium, atque etiam in recens natis.

prębent moleſtiam, cauſæ morbum facientis vicem ſubeant; tunc enim ſumma dexteritate auferendæ ſunt ante diem quartum, ſi ab initio curationem ſuſceperimus; nam à a quarto uſque ad ſeptimum aliquod opus moliri non licet, ut habetur tertio de fracturis comm. Nam grave erratum eſt; quum ex metu recrudeſcant vulnera, quibus ſuppurandis tunc maximè natura incumbit, &, quaſi in opere turgeat, facili negotio alteratur; inde caro, os, cerebrique membranæ inflammantur, & mors imminet. Huius deſidentię ſeu introceſſionis plures ſunt ſpecies. nam maior vel minor pars introcedit, vel

a A quarto ad ſeptimũ nihil aliud tentandum quam ut ſuppurationẽ procuremus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

alte magis, vel magis in ſuperficie. Sed de tertio modo ſatis.

Textus.

AD ſedem teli, quæ in ſciſſo oſſe apparet, poteſt rima etiam adiici, atque ubi rima fit, plus minuſve os neceſſe eſt collidatur: quum qua parte rima inſciſſo oſſi adiicitur, eadem colliſum ei quod inſciſſum & fiſſum eſt. quartus hic modus. Poteſt & collidi os, quod inſcinditur, quamvis nulla colliſo inſciſſoque rima ſuperveniat, fit autem ſedes teli in oſſe: vocatur ſedes ubi eſſe in ſuo ſtatu manente videre licet qua parte telum inſederit. Vniuſcuiuſque modi ſpecies ſunt complures. nam quod ad fiſſum & colliſum pertinet, ſive utraque ſedi adiiciantur,

tur, ſive colliſum duntaxat, varias eſſe utriuſquè ſpecies iam diximus. Sedes autem per ſe longior eſt, & brevior, rectà magis vel in orbem. Suntque huiuſmodi multæ aliæ ſpecies pro teli figura. Nam & alte magis, aut minus deſcendit, & anguſtior eſt, aut latior, aut latiſſima. Aut præciditur os: hæc autem noxa cuiuſcumq; longitudinis ac latitudinis fuerit, ad ſedem refertur, modo alia oſſa quæ ſic inſciſſa ſunt naturaliter maneant, nec quod inſciſſa ſint à ſuo ſtatu in interiorem partem compellantur; ſic enim ſedes non amplius eſſet, ſed os deſideret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

COMMENTAR.

QUartus *a* hic modus, qui pro uno ab Hippo. conſtituitur, quatuor modos eliciendi occaſionem facilè præbet, ſi rem diſtinctius pertractare velimus. Quorum unus ſimplex, & tres ſunt compoſiti: ſedes enim vel inſciſſio, ubi ſola per ſe fuerit, recta vel obliqua, unum modum, ſimplicem videlicet efformat. Secundus compoſitus eſt ex ſede, & rima, ſeu fiſſura. Tertius ex ſede & colliſione componitur. Quartus adhuc compoſitùs magis ex utriſque, fiſſura ſcilicet, & colliſione, inſciſſioni ſeu ſedi adiunctis. Simplex vero ſedes, à telo levi, & bene ſcindente fit, à quo

a Sequitur quarta ſpecies fracturarũ, quæ ſedes eſt teli, ſeu inciſio perſpicua & nõ latens: quæ tres etiam dictas fracturas complectitur, quatenus conſpicua eſt earum in calvaria figura, ſive orbicularis, lata, longa aut profunda fuerit.

quo inſciſſionis veſtigium in oſſe relinquitur, quæ inſciſſio nihil eſt aliud, quàm ipſa teli ſedes. a Quæ quidem calvariæ occurrit, vel ſecundum rectitudinem, à ſuperficie ſcilicet rectà ad profundum; quod ubi acciderit, gravius malum adfert: vel ſedes ipſa ex obliquo indita aliquam oſſis particulam excidit, eamque Paulus exſciſſionē, vel dedolationem appellat: eam tamen Hippocrates ſub teli ſede complectitur, ſeu ſimplex diviſio ſeu ſubſtãtiæ exſciſſio ſit, vel in ſuperficie vel per totum. Imminentis tamen periculi ratione, non parum differunt: nam multo minus grave vulnus eſt, ſi ex obliquo calvaria reſcindatur,

a Duobus modis cōtingit vulnerari caput ſecundum rectitudinem: aut enim acie id ſit aut mucrone: & id quidem ſolū contingere poteſt, dū à vertice baſim verſus, ictus veluti perpendiculariter deſcendendo inflictus eſt. Qui autē aliter ſtant, ex obliquo eſſe dicūtur, tanquá à latere lineæ perpendicularis inflicti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

quam ſecundum rectum: in obliqua enim ſectione ſubiectæ partes minus concutiuntur, quam in ea quæ à ſummo ad imum rectà fit. Minus etiam grave malum eſt, faciliuſque evadunt ii, quibus calvaria reſcinditur, & ad membranam uſque aufertur, eadem tamen illæſa, quam ſi per rectitudinem ſuperior tantum lamina diviſa fuerit, eoque magis ſi verticem ipſum vel partes proximas vulnerarit. [a] Modus autem ex ſimplici compoſitus evadit, tum telorum, quibus ſedes infligitur, varietate, tum oſſium quibus occurrunt mollioris vel ſolidioris ſubſtantiæ ratione. Namque ſi telum hebeti ac retuſa acie ſolidam calvariam

a Ratio cur hic quartus modus multas alias fracturæ differentias complectatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

riam offenderit, præter ipſam inſciſſionem vel ſedē rimam contrahet: ſin vero mollior calvaria percutiatur ad inſciſſionem colliſio accedet. Quum autem calvaria inter molliciem & duriciem mediam ſubſtantiam ſortita fuerit, partim findetur, partim præter ſedem collidetur, & eo quidem maxime, ſi ſummum verticem partem infirmiſſimam vel ſuturam attigerit. Modi huius quarti ſingulas iam enarratas ſpecies optime noviſſe oportet eum qui curationi præficitur, priuſquam manum admoveat, & nihil temere atque oſcitanter aggredi: quum enim variam manus operam poſtulent, ſi quid ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

gligenter fecerit, vel omiſerit, cæcus cœco ducetur, ægerque in foveam, in ſermonem Medicus incidet. Sedes vero ubi per ſe ſola fuerit, pro lædentis teli figura varia evadet. nam eadem alte ac per totum os uſque ad membranam deſcendit, vel ſuperficiem tantum dividit. harumque aliæ anguſtæ, nonnullæ mediocres, quædam valde amplæ & patentes ſunt. quæcunque tandem ſint, dum colliſio, fiſſio & introceſſio non acceſſerint, oſſique reliquæ partes in ſuo ſtatu conſerventur, ſub tali ſede, ſimplici nimirum modo, comprehenduntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Textus.

Frangitur calvaria ſub vulnere alia parte, quam ubi plaga eſt, atque os nudatum. Quintus hic modus: quod [a] *infortunium ubi accidit, nihil eſt quo iuvare poſſis; quoniam ubi hoc malum ſit, nulla via deprehendere licet, homo ne id patiatur, aut qua parte calvariæ.*

> [a] Quinta ſpecies ſub infortunii nomine comprehenditur. At infortunium iſtud non probatur Paulo: qui contendit, non alia parte frãgi calvariam poſſe quam ſub plaga. Quod dictum Pauli locum fortaſsis habebit in iis qui cranium ſuis futuris abſolutum habent. At quibus nullæ adſunt futuræ, experientia certe comprobat, ut tale infortunium incidant.

Comment.

Infortunium certe grave eſt, una in parte plagam eſſe, alibi vero findi calvariam ipſam, eoque magis quod tanti viri teſtimonio, nulla ratione prodeſſe poſſit medicus, quum nulla via deprehendere poſſit, an fiſſura huiuſmodi calvariæ acciderit, vel quam præcipue ſe-

dem occupet : latens enim ſub integra cute fiſſura, nullam circa primos dies de ſe præbet noticiam, ut opportune à rationali medico manus opera adhiberi queat. Etenim ſi quis artificioſa coniectura id ſuſpicatus fuerit, ſanamque partem ſecet, ægerque pereat, ingentem calumniam evitare non poterit, immaniſque & crudelis medici nomen ſubibit, quocunque modo res vertat. *a* Sin autem prætermittatur ſectio, & locus ſeu particula cui rima ſubiicitur, ad abſceſſum (ut fieri ſolet) devenerit, nihilominus medico negligentiam adſcribent: fieri tandem nulla ratione poteſt, quin medicus infortunii particeps evadat. Laten-

a Quam multis de cauſis infortunium Medico noceat. Et idcirco huius curationem non tradidit Hip.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

tentes autem huiuſmodi fracturæ, ex alto cadentibus ſuper durum ſtratum accidunt, vel ſi gravis moles ex alto in caput ceciderit, manu, vel funda, iacto lapide percutiantur. Fieri etiam interdum poteſt, ut à gravi corpore percuſſa particula, eo robuſtior ſit, & ad reſiſtendum magis apta, quam ea quæ à vulnere longius abeſt: ut ſi percuſſa fronte, ibi non frangatur calvaria, ſed in vertice, quod infirmiſſima ſit, colliſiſque invicem illius ſuturis, rimam, os contrahat. In eiuſmodi infortunii genere dum Medicus vulneratæ fronti medicamenta adhibet, nullo conſpecto rimæ ad plagam initio, fracto vertici nullam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ſectionem aut curationem adhibet, ſuppuratur interim atque inflammatur particula, per rimamque ad membranas & cerebrum putredo deſtillat, ſæva accidentia ſuperveniunt, moritur æger, quem (ut diximus) divini Hippoc. teſtimonio, nulla artis ratione ſervare licuit.

TEXTUS.

IN his fracturæ modis ad [a] *ſectionem veniendum eſt, quum os colliditur, ſive res lateat, ſive in aperto ſit, atque ubi finditur, ſeu rima oculis ſubiiciatur, ſeu minus appareat. Præterea quum os inſcinditur, ſic ut teli veſtigium in eo relinquatur, & ſimul vel finditur, & colliditur, vel ſine ulla rima colliditur, in hoc*

a Præterit Hip. quomodo ſit ſectio carni facienda. At Paulus & periti Chirurgi in modum X literæ tentant, angulis acutis mutuo ſeſe ſecantibus duabus lineis, aut figura triangulari, prout commodius videbitur.

hoc fracturæ modo ad ſectionem confugiendum . id autem os quod à ſuo ſtatu decedens deſidit, raro ſecandum eſt , & quæ maxime deſidunt , & maximè perrupta ſunt , minime ſectionem requirunt . Adhæc neque ſedes teli, ubi os nõ findatur, & collidatur, ſecari debet , neque id os etiã quod præſcinditur, ſi inſciſſio magna fuerit , & lata; namque hæc , & ſedes, idem eſt .

COMMENT.

TRadita quinque modorum noticia , præcepta quædam admirabilia ad manus operam ſpectantia ſubiungit : admonens, quando, quomodo, & quibus ſcalpelli opera adhibenda ſit : alioquin [a] nec rimas , vel colli-

[a] Niſi ſectio cito adhibetur, neceſſe eſt mori ægrum, ob contractã putredinem. De carnis autẽ ſectione tam intelligendum, quam de oſſea, idq; ubi opus fuerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ſiones, intueri, nec ſcalpris vel terebra opportune uti licebit, ſed putredinem contrahens calvaria, gravibus notis præcedentibus, ægrum ad interitum præcipitat. Cavendum tamen ne temere ſectio carni adhibeatur, & oſſi abraſio, vel terebra, ſi ea opus non habeant. ſi vero continui ſolutio præceſſerit, & ſit fiſſa, vel colliſa calvaria, propterque plagæ anguſtiam, læſionis modum introſpicere, manuſque operam adhibere non liceat, prorſus ſecanda eſt plaga. nam ſcalpris & terebræ in anguſtioribus vulneribus, illæſo pericranio non eſt locus. *a* Contra, amplis vulneribus & fracturis, ubi expurgandæ materiæ locus patea t,

a In duobus caſibus ſolum nullã tentamus ſectionem. Primus ubi ſedes ſimplex eſt. Secundus, ubi latiſsime patet vulnus, quemadmodum in nonnullis accidit, ut manifeſte cerebrum appareat.

teat, raro eſt ſectione opus, ſicut etiam in ampliori ſede, quæ adeo ſimplex ſit, ut ei nulla fracturæ ſpecies alia acceſſerit.

Textus.

Spectare autem inprimis convenit, qua parte capitis homo vulneratus ſit, num imbecilliori; & capillos iuxta vulnus intueri: namque ubi telo inſciſſi fuerint, & in ipſa plaga contineantur, veriſimile eſt, os denudatum eſſe: quod quum evenit, aſſerendum eſt, violatum fuiſſe à telo. Hæc animadvertenda ſunt, dicendaque priuſquam manus homini iniiciatur.

Com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

COMMENT.

QUoniam ut à principio dicebat partes capitis duricie & mollicie, craſſicie & tenuitate, plurimum inter ſe differunt, propterea perpendendam eſſe affectam ſedem nunc admonet, an ſcilicet debilis, vel robuſta fuerit, & an ſuturas telum attigerit an nõ, ut inde colligamus quanta fieri fractura potuerit, habita affectæ partis ratione: capillos præterea, inquit, ubi in vulnere fuerint, certiſſimum fractæ calvariæ indicium præbere: ipſe enim ſæpius non ſolum in vulnere collectos obſervavi, ſed in ipſam etiam oſſis ſubſtantiam infixos, ut citra rimæ abraſionem evelli non poſſent:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

poſſent: tales autem fracturæ à lapide cadente, vel funda proiecto fieri ſolent, cum eius aliqua extremitas in angulum acutum abierit. quæ omnia perſcrutanda eſſe voluit, antequam manum homini iniiciamus, ut interim determinari poſſit, num ſit ſectio adhibenda. cuius ſi urgeat neceſſitas, ægri propinqui & affines ſunt commonefaciendi, ne eam temere adhibitam quiſpiam arbitrari poſſit. [a] Maximum enim habet ad univerſam curationem momentum, ſi in primo curationis aditu, nihil neglectum, nihil prætermiſſum, nihil etiam temere factum fuerit: prima namque curatio eſt quaſi totius fabricæ baſis, & totius operis

[a] Hæc cōfirmans Gale. ſexta meth. hoc celebrat proverbium. Dimidium facti qui bene cœpit habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

operis dimidium, ſi calente adhuc vulnere plaga dilatetur, curatione eadem die ſuſcepta: nam turpe eſt aliquid hodie neglexiſſe, quod feciſſe opus fuerat, & in craſtinum maiori cum ægrotantis moleſtia diſtuliſſe, eoque magis quod univerſum ſectionis opus ante diem quartum abſolvere oporteat.

TEXTUS.

POſtquam iniecta eſt, danda opera eſt ut an os nudatum ſit aperte intelligamus, & an in conſpectum veniat nudatum: ſpecillo enim conſiderandum eſt, ubi oculis ipſis non pateat. Quod ſi nudatum os inveniatur à telo violatum, primo malum quod in oſſe eſt videre oportet, dignoſcereque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

reque quantum ſit, & quam operam exigat. Requirendum præterea de homine, qualiter vulneratus fuerit, & quomodo. Sed ſi manifeſtum non eſt, violatum nec ne ſit os, nullo adhuc magis interrogandum eſt nudato oſſe, qualiter vulneratus fuerit, & quomodo. a *nam quod ad oſſa pertinet, quæ colliſa eſſe ſolent, & fiſſa, non tamen apparere ex iis quæ homo reſpondet, primo eniti debemus ad cognoſcendum teneaturne os aliqua tali noxa, dein rem citra ſpecillum, ratione & opera explorare. ſpecillo enim non deprehenditur ullamne os talem ſenſerit noxam, violatumque ſit, an inviolatum ſervetur. ſed id mali, ubi os vel ita inſcinditur, vel teli veſtigiū retineat, vel à ſuo ſtatu recedens deſidit, aut*

a Initio huius textus dixit ſemper eſſe utendum ſpecillo, ut deprehendamus an os nudatum fuerit, ſi oculis ſaltem nō pateat. Nunc vero vult Hip. non in omnibus fracturæ differētiis eſſe adhibendum ſpecillum, ſed tantum ad ſedem teli, & introceſsionē: nā de aliis duabus, ſcilicet & fiſſura & colliſione, nullum certum iudicium præbere poteſt. Quare coniectura deſumpta à vulnerantibus, tum telis, tum hominibus: & à vulneratis, tum locis, tum ægris: has duas ſpecies eſſe inveſtigandas docet.

aut vehementer rumpitur. quæ ſi quis intueatur, ipſis quoque oculis comprehendet. finditur autem os rimis, & latentibus, & conſpicuis, colliditurque ſic ut colliſum non appareat, & à ſuo ſtatu recedens deſidit, ubi alter alterum de induſtria vulnerat, magis quam ubi invitus: quumque à ſuperiori loco telum vel iacit, vel manu tenens percutit, (utrumlibet eveniat) magis quam quum ab æquali, magis item quum robuſtus imbecilliorem vulnerat. Inter eos, quibus in decidendo vulnerantur quæ iuxta os ſunt, & etiam os ipſum, quicunque à loco maxime ſublimi ſuper duriſſimum quippiam & valde hebes cadit, periclitatur ne ſibi os findatur, collidatur, aut à ſuo ſtatu recedens deſidat. ci vero qui à loco æquali ſuper quip-

quippiam mollius decidit, os eiuſdem noxas, vel nullo modo, vel certe minus ſentit. E telis autem, quæ ſuper caput cadentia vulnerant, quæ iuxta os ſunt, atque etiam os ipſum: quod à loco maxime ſublimi & minime æquali incidit, quodque graviſſimum, hebes admodum, & duriſſimum eſt, hoc findere os; & collidere poteſt. at minime quod ab æquali loco, minime quod leve, minime item quod acutum & molle. a Præcipue autem periclitatur os ne his modis lædatur, quum ita vulneratur, ut è regione ad lineam occurrat, ſive hoc manu teneatur, ſive iaciatur, ſive quid ſuper os incidat, ſive homo ipſe cadens vulneretur, ſeu quomodocunque percutiatur, oſſe è regione ad lineam telo ipſi occurrente. Sub telis vero, quæ à late-

a Colliſione igitur & fiſſura periclitatur os maxime, ubi è directo aut vulnerantis aut vulnerati percuſſum eſt, & non ad latus.

latere feriunt, os minus finditur, colliditur, ac deſidit, quamvis nudetur. quibuſdam enim vulneribus ita illatis ne nudatur quidem.

COMMENT.

QUamvis præcepta ſuperius tradita, quæ ad fracturæ inveſtigationem attinent, ſatis per ſe perſpicua videantur, aliqua tamen quæ animadverſione indigere videntur, attingemus. Sed præ cæteris illud notandũ, quod dixerit (nudato oſſe.) quaſi dicat, eo non denudato, quamvis colliſo aut fiſſo, quod raro accidit, non eſſe tamen ſectione denudandam calvariam. *a* nam in pueris ubi decidunt, non raro accidit, ut eorum collidatur cal-

a Præceptum religioſiſsime ſervandũ, ut in pueris nullã ſectionem moliamur, vel etiam fracto cranio.

calvaria, frangaturque, cute integra. quod etſi accidat, & tactu hoc probe percipiatur, ſanguiſque è venis effuſus ſub cute fluctuet, abſtinendum tamen à ſectione eſt. neminem enim ſervatum vidi, cui ſectio adhibita ſit, propterea quod eorum calor facile diſſipetur, eoque magis, quum gemitu & clamore caput valde incaleſcat, & ad fluxiones ſuſcipiendas proclive reddatur. Neque ob id ſuſpicandum eſt, quin effuſus ſanguis, & colliſa calvaria medicamentis diſcutiatur, & ad ſuam ſedem redeat. quibus vero id præſtari poſſit, ſuo loco dicemus. In grandioribus vero natu propter ſubiecti oſſis duriciem ſimul cu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

tis continuum ſolvitur. cuius ſi plaga fuerit anguſtior, non licebit oculis intueri, vel digito fracturam cognoſcere. tunc ſpecillo diligenter perquirenda, ne nos lateat quouſque producatur, & quanta ſectione opus habeat. *a* cavendum interim, ne à ſuturis decipiamur, arbitrantes fracturam ſubeſſe. perquirendum præterea ex ægro, & ex iis qui interfuerunt, qualiter vulneratus fuerit, & quomodo. ex teli enim lædentis natura, & ex illius qui læſit robore, affectus magnitudinem certa quadam coniectura aſſequimur. nam tenuiſſimæ à principio fiſſuræ, & ſenſum medici, & ſpecilli contactum fugiunt.

a Decipi quandoq; nos contigit ſuturarum ratione, exiſtimantes fracturam ſubeſſe, ob earum raritatem.

TEX-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

TEXTUS.

EX telis autem id potiſſimum os findit rimis, & latentibus, & conſpicuis collidit, & ita perrumpit ut deſidat, quod teres eſt, orbiculatum, planum, retuſum, grave, & durum: idem quoque carnem collidit, maturat, & lacerat: vulnera præterea ſub huiuſmodi telis à lateribus, & in orbem cava, fiunt purulenta magis, atque humida, & longiori tempore purgantur. Neceſſe enim eſt, colliſam carnem, detentamque, in pus verſam tabeſcere. Tela vero oblonga, ad multam partem tenuia, acuta, & lævia, carnẽ ita inſcindunt, & os ſimiliter, ut per totum penetrent, magis quam collidant. Telum autem ſic inſcindẽs in oſſe relinquit ſedem. eiuſmodi autem noxa,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

xa, & ſedes, idem eſt. Verum hæc tela non admodum os collidunt, aut findunt, aut ita perrumpunt, ut à ſuo ſtatu recedens, deſidat.

COMMENT.

QUum præcepta tradidiſſet Hippoc. quibus cognitio ipſarum fracturarum acquiri poſſet, a ſupererat de lædentibus telis pertractare, quæ cauſæ efficientis, inſtrumentalis ſcilicet, rationem ſubeant. nam eorum natura ignorata, affectus exacta cognitio haberi non poteſt. Si igitur liceat, telum inſpiciat, & tangat, Medicus locum agnoſcat, ex quo quid cecidit molem perpendat, locum præterea à quo, & ſuper quem cecidit quidpiã, cu-

a Quum fracturarũ differentiæ, maxime ex duricie, & mollicie cranii, atque ex diverſitate teli lædentis petantur, ubi de primo egit, ſequitur ut de ſecundo pertractet, hoc, & ſuperiori textu.

curioſe ac diligenter inveſtiget, antequam manum ægro admoveat: nam ex iam dictis facile eliciet affectus magnitudinem, & an ſectione opus habeat. Conferenda eſt denique particula capitis affecta, caſus, vel ictus magnitudini, ut inde colligamus robur, vel imbecillitatem affectæ partis. quod ſi à telo levi & bene ſcindente, inflictum fuiſſe vulnus innoteſcat, eius veſtigium in oſſe ſpecillo percipiemus, quod ſedes dicitur, minuſque verenda plaga erit, quod neque [a] concuſſio, neque fiſſio accedere ſoleat: minorique negotio ad ſanitatem perduci conſueverunt ſic vulnerati.

[a] Peius eſt inquit Celſus lib. 5. cap. 26. quod colliſum, quã quod tantum diſciſſum eſt: adeout acuto quoque quam retuſo telo vulnerari commedius ſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

TEXTUS.

OMnia vero hæc præter id, quod in oſſe oculis comprehenditur, requirenda ſunt. gravioris enim vel levioris plagæ indicia ſunt. ad hæc ſi offenſus ſine ſenſu quaſi dormiens iacuerit, ſi oculi obcœcati fuerint, ſi vertigo ipſum occupaverit, ſi ceciderit.

COMMENT.

HÆc ſententia lectorem admonitum voluit, non ſolum habendam eſſe teli lædentis, & particulæ affectæ rationem, verumetiam ſymptomatum, à quibus læſionis magnitudo indicari poteſt. Perquirere obid ſtudioſe oportet, quænam ægrotanti ab accepto vulnere con-

contigerint, an ſcilicet ſibi ſimilis circa animæ functiones undequaque fuerit, an vero aliqua obſervata ſit inſignis diſſimilitudo, quæ cerebri & animalium ſpirituum perturbationem atteſtetur. Si enim ſine ſenſu, quaſi ſoporoſus evaſerit, ſi oculis tenebræ obverſatæ ſint, ſi vertiginoſus ſit redditus, ſi quaſi epilepſia correptus ceciderit, ſi vomuerit, & tandem ſi præteritorum immemor fuiſſe videatur, omnia, vel plæraque, læſionis magnitudinem, & periculũ imminens demonſtrant, ex quibus quaſi certam prædictionem elicere poteſt, ſalutis ſpem in anguſto repoſitam eſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

TEXTUS.

AT ubi os telo nudetur, plaga ad ſuturas exiſtente, difficile eſt aſſerere de teli ſede, relictumne ſit eius veſtigium in oſſe, ubi id in ipſa ſutura accidat quod in alio oſſe manifeſtum eſt: ſutura enim una cum ipſo conſpicitur, reliquo oſſe aſperior. neque conſtat, teline ſedes ſit, an ſutura, niſi ſedes late admodum pateat. Adiicitur etiam ſedi rima, plærumque ubi ſedes ipſis ſuturis accidit. Quumque os finditur, fiſſum affirmare difficilius eſt, propterea quod rima, ſi accidit, plærumque ſuturas occupet. Prompte enim hac parte os finditur & reſolvitur, eo quod natura tenuius ſit, ac magis rarum, quodque ſutura facile findatur, ac reſolvatur. Alia vero oſſa, qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

quibus ſutura continetur, non finduntur, quoniam hæc firmiora ſunt. At rima ad ſuturam ſuturæ quoque reſolutio eſt; quam non facile eſt aſſerere, neque ubi à teli ſede in ſutura proficiſcatur, quum finditur, & reſolvitur, neque ubi ſutura finditur, & reſolvitur, propterea quod os & caro collidatur. Verum difficilius adhuc eſt aſſerere, num fiſſum os ſit, propterea quod colliſum: quandoquidem ſuturæ, quæ rimæ ſpeciem referunt, & reliquo oſſe aſperiores ſunt, medici animum atque oculos fallunt, niſi os vehementer reſolvatur, atque inſcindatur, ut telum per totum penetret. huiuſmodi enim malum, & ſedes, idem eſt. Oportet autem, ſi vulnus ad ſuturas fuerit, & telum oſſi inſederit, diligenter animum advertere, ut inveſtige-

 mus

mus qua noxa os teneatur, quum à ſimili telo, eiuſdemque magnitudinis aut etiam minori ictu, atque gravi vel etiam leviori, multo magis homo lædatur ſi telum ſuturas attingat, quam ſi alias partes.

COMMENT.

QUam difficilis ſit notitiæ, magnique diſcriminis plaga, quæ ſuturas attigerit, ſuperiori ſententia aperte ſatis explicatur: [a] eoque magis quod non ſolum cognitio, ſed & ipſa curatio difficillima evadit: nam rimas, introceſſioneſque ſedi coniunctas, nec ſcalpris deradere, nec terebra aperire licet, propter duram cerebri membranam ſuturis inſinuatam, quæ ob acrem ſen-

[a] Difficilior eſt ſupra ſuturam curatio fracturæ, quã cognitio: hanc enim coniectura conſequi poſſumus, illam vero nedũ tentare neceſſariis remediis.

ſenſum irritaretur, & inflammaretur facile. Sed quam pauci hodie harum præceptionum ſtudioſi ac memores reperiuntur?

TEXTUS.

HOrum quoque magna pars ſectionem poſtulat. a *ſecare autem ipſas ſuturas non expedit: atque, ubi ſectio neceſſaria ſit, proximum os ſecare. De curatione vulnerum capitis, deque ratione qua deprehendi debeant mala oſſis, quæ non apparent, ita ſentimus.*

a Tribus de cauſis non eſt adhibenda ſectio ſupra ſuturas. Primo quia imbecilles ſunt, & facile à modiolo perforantur, ſicque læderetur cerebrum. Secundo quia per ſuturas venæ & mēbranæ tranſeunt, quas ſi ferro tangas, forte decidet ad alligata dura mater. Tertio quia contracti calli impedirēt tranſpiratum.

COMMENT.

MAgnam propterea partem horum, dixit ſectionem poſtulare, ut indicaret, quaſdam rimas, quæ ſuturis vulneratis accedunt,

adeo patentes eſſe, & materiæ expurgandæ aptas , ut nulla opus habeant per ſcalpra vel terebrã dilatatione: in cæteris vero omnibus, ubi carnis plaga ad introſpiciendam oſſis fracturam, & ad oſſis detractionem non eſt ſufficiens, ſectionem omnino adhibendam eſſe conſuluit, ea tamen animadverſione adiecta, ne ſcalprum aut terebra ſuturis adhibeatur, propter inſinuatam cerebri membranam: ob acrem enim eius ſenſum dolor, & ex dolore inflammatio ex neceſſitate ſubſequeretur : quapropter ad proximam partem ſecedendum eſſe docet: eligenda tamen ea eſt , quæ declivior, expurgandæque materiæ magis apta videbitur.

tur. Sed hæc de manus opera, quæ à leſionis cognitione proficiſcitur, dicta ſint.

TEXTUS.

a *ULcus in capite neque vino, neque alia re madefacere oportet, aut certe quam minimum.*

COMMENT.

TRaditis præceptis ad affectus cognitionem ſpectantibus, curandi indicationes quam breviſſime proponit. Quum enim in libro, qui de ulceribus inſcribitur, docuiſſet, ulcera nullo humore madefacienda eſſe, præter quam vino, modo in plaga

a Hinc patet eorum error qui ab initio vino imbuunt vulnera, non modo capitis recentia, ſed & aliarum partium. Qui dum cõtendunt vinum refrigerare, ducunt illi cum ſuo vino ad inflammationẽ, ferme ſemper, ut multoties obſervavi Patavii. Atqui cõſtat ex Gal. lib. 8. de ſimpl. medic. facult. vinum calidum eſſe. cui ſuffragatur Paul. libro 1. cap. 95. Niſi forte velint, refrigerare more aquæ calidæ, hoc eſt, per accidens, aperiendo videlicet poros. At tantum abeſt, quinimmo exſiccat & adſtringit vinum.

capitis fere vinum interdicit. Nam in aliis ulceribus, is eſt eius uſus, ut repellat, & ſiccet, quum nigrum & auſterum requiratur. ut ex Gal. colligere licet 30. de fract. comment. Quamvis enim vinum ulceri capitis convenire videatur, ut ſiccandi facultate eſt præditum, in calvariæ tamen fractura circa initia nullus eſt eius uſus: nã agglutinatio, donec purgatum *a* ulcus fuerit, ac repletum, oſſiſque nudati partes abſceſſerint, prohibetur. Non eſt etiam opus repellentibus, eo quod partes, quæ cæteris ſupereminent, ſint minus fluxionibus obnoxiæ, ſed protinus medicamenta adhibenda ſunt cephalica appellata, cuiuſmodi ſunt

a Donec fuerit ulcus purgatum, non tentanda eſt agglutinatio, quam tamen vinũ ſua ſiccitate præſtat.

Iſis,

Iſis, & Barbarum emplaſtra. Duas tamen advertit maximi momenti conditiones, dummodo ſcilicet vulnus attritum non fuerit, nec eidem ulla ſit adhibenda ſectio. nam (ut infra perſpicuum evadet) ubi vulnus attritum fuerit, ſuppurantia omnino poſtulat: ubi vero ſectio requiritur, quæ repellunt, cataplaſmata, linamentum & vinculum, ſimul adhibenda ſunt.

TEXTUS.

NEque cataplaſmate, neque linamentis curare, at neque aſtringere etiam convenit capitis ulcus, niſi fuerit in fronte, aut in parte, quæ ſine pilis ſit, aut ad ſupercilia atque oculum. ulcera enim his locis cata-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

plaſmata magis & vincula requirunt, quam alia capitis parte: ſi quidem reliquum caput frontem univerſam continet, a ulcera autem ubicunque fuerint, ob ſanguinis curſum ex iis quæ continent, inflammantur, intumentque. Verum nec quæ in fronte ſunt per totum tempus cataplaſmate nutriri debent. ſed quum inflammatio ac tumor ceſſat, tunc à linamentis, vinculo, & cataplaſmate adhibendis deſiſtendum eſt. In cæteris autem capitis partibus, nec linamento nec cataplaſmate utendum; neque alligandum, niſi ſcalpelli opera neceſſaria ſit.

a Hæc eſt ſententia Hipp. ut partes quæ continent ulcus, hoc eſt, quæ circũ ulcus ſunt, ſint obnoxiæ inflãmationi: ideo quum frontem contineat reliquum caput, proſpiciendũ eſt ne inflãmetur; nã ex conſequenti totum caput inflãmaretur.

COMMENT.

CAtaplaſmatis, & deligationis, idem eſt ac vini uſus, ut ſcilicet ne phlegmone

gmone *a* excitetur prohibeant. utrumque autem reprobat, præterquam in fronte, & temporibus, quod fluxioni magis ſubiiciantur. hæc etiam præſidia tandiu admovenda ſunt, quouſque inflammationis periculum deſierit. Quod autem ad linamenta ſpectat, nihil eſt quod ea adhibeamus, niſi ut plaga magis hiet, labiaque diducta conſerventur, tum ut mala oſſis introſpicere liceat, tum etiam ut operationes citra carnis noxam perfici poſſint. ſi tamen, ut dicebat, ſcalpelli opera neceſſaria fuerit, tunc propter dolorem dilatandæ plagæ, & calorem, qui eo motu ſcalpri vel terebræ adhibitæ excitatur, vinculo, ad robur, vino,

a Vinum quatenus exſiccat, fluxioni reſiſtit: at quatenus calidum, inflammationem facere paratum eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

vino, & cataplaſmate, ad repellendum, linamento, ad plagam dilatandam, ut oſſis vicia introſpicere liceat, neceſſario admovenda eſſe tacite innuit. perfici enim nequeunt opera hæc, quin doloris cauſa fluxioni occaſionem præbeamus; cuius vitandæ ſtudio, quæ antea ut ſuperflua reprobaverat, tunc eſſe neceſſaria demonſtrat. Quibus autem, & quando ſectio conveniat, audite.

TEXTUS.

POſtulant autem ſcalpellum ulcera capitis, ac frontis, quum os nudatum eſt, & veriſimile ſit fuiſſe à telo violatum, ipſa vero breviora ſunt, atque anguſtiora, quam ut perſpici patiantur, numquid mali os ſub telo ſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

lo ſenſerit, & cuiuſmodi ſit, & quantum, quantum item carnis colliſum ſit, contra etiam num os ſub telo inviolatum ſervetur, nihilque læſum ſit, quidque opus in curatione ſit, tam quod ad carnis, quam quod ad oſſis vitium pertinet. Hæc itaque ulcera ſcalpelli uſum requirunt, quod ſi nudato oſſe vulnera intus cava ſint, abunde inſcindere id cavum, transverſum convenit, qua non facile medicamentum, quodcunque fuerit, admittit. a *Vlcera inſuper in orbem atque admodum intus cava ſcapelli quoque operam poſtulant. Orbis enim duabus lineis inſcindẽdus eſt in longitudinem hominis, atque ulcus longum efficiendum. Vbi caput inſcindẽdum ſit, cæteræ partes eius tuto conſcinduntur: tempus, & regio ſuperior iuxta venam, quæ per*

a Oſtẽſum eſt ſuperiori commentario, non eſſe opus ſectione, ubi certo tenemus, nõ eſſe violatum os. & ſi anguſtũ ſit vulnus, ac ubi de cranii fractura dubitatur, etſi os nudatũ ſit, tamen ſcalpello locus eſt: eoque magis, ſi breviora & antiquiora ſint vulnera.

per tempora fertur, hic inquam locus ſcalpello attingi non debet: eum enim qui inſciſſus fuerit, nervorum diſtentio prehendit: ac ſi tempus ſiniſtrum inſcinditur, dextrum nervorũ diſtenſione occupatur, ſi dextrũ, nervi diſtendũtur in ſiniſtro. ergo quũ nudati oſſis cauſa plaga in capite ſecatur, ut appareat, læſum necne à telo fuerit, eatenus inſcindi debet quatenus opus eſſe videbitur. Oportet autem ubi ſecatur diducere ab oſſe carnem, quæ membranæ & oſſi iuncta eſt, deinde ulcus univerſum linamentis implere, quæ in poſterum diem minimo labore ipſum apertum exhibeant. Vbi autem linamenta dantur, quandiu adhibentur, imponendum eſt cataplaſma ex polenta tenuiſſima, quæ ex aceto ſubacta incoquatur & maxime glutinoſa fiat.

Comment.

Nihil eſt magis difficile, in univerſo hoc curandorum capitis vulnerum negotio, quam, in primo curationis aditu, ea probe exequi quæ ad ſectionem attinent, ne ſcilicet aliquid diminutum, vel ſuperfluum fiat. Hoc autem prout oportet decernere cuiuſvis non eſt, ſed eius duntaxat, qui longo rerum uſu ſit maxime exercitatus. Quapropter non iniuria admonet Hippoc., in quibuſnam vulneribus, oſſe nudato, ſectionem adhibere ſit neceſſarium, ubi ſcilicet veriſimile fuerit, calvariam à telo violatam, fiſſam, colliſamve, fuiſſe, vel ubi propter brevita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

vitatem, & anguſtiam, circumſitarumque partium attritionem oſſis vitia intueri, & manus operam adhibere minime licet. idcirco ea ita aperienda ſunt, ut univerſa fractura oculis ſubiiciatur, eoque maxime, ſi plagam exploranti anguſta, interque calvariam & pericranium ſubcava reperiatur. quod ſpecillo facile deprehendi poteſt. huiuſmodi enim diverſis ſectionibus, quantum cavitas poſtulat, aperienda ſunt, tum ut læſam intueamur calvariam, tum ut ſanies expurgari libere queat, tum etiam ut medicamenta aptius accommodari poſſint. cutis enim ſectiones facile ſaneſcunt. ſed ſi omittantur, lateatque fractura ſenſum,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

quæ ſaniem in abſcondito contrahat, quæ putredinem ſubiectis partibus communicet, de ſalute conclamatum eſt. Sed quoniam aliquæ partes, tuto ſectionem non admittunt, minime prætermittere voluit, quin mala imminentia proponeret temporum muſculos ſecanti, non ſolum propter venam, & arteriam, quæ per tempora feruntur, ſed etiam propter nervoſam, & maxime ſenſibilem eorundem naturam. a Tranſverſa namque, vel obliqua ſectione, temporali muſculo ſecto, convulſionis periculum imminet. Nam oppoſitus muſculus temporalis, maxillam ad ſe trahit, & ſemiſecti reliquias diſtendit, diſtra-

a Propria muſculi actio contractio eſt, ergo dum contrahitur, patitur. muſculus igitur ſi patitur ob ſectionẽ, certe ut ab oppoſito muſculo temporali trahatur neceſſe eſt.

trahitque. Cavendum eſt inſuper ab arteriæ ſectione, quæ per anteriorem muſculi partem conſcendit; quam evitare licebit eius pulſum exploranti; attiguamque ſimul venam inviolatam ſervaſſe perſpicuum erit. Si tamen neceſſitas ſectionem adhibere coëgerit, quod aliqua oſſis particula fracta, atque introcedens, membranæque infeſta percipiatur: [a] imminentis periculi prædictione præmiſſa, obſervata fibrarum ſerie, ſectio ducenda erit. Eadem eſt frontis ratio. nam ſi iuxta ſupercilia tranverſa ducatur ſectio, rectis frontis muſculi fibris præſectis, cutis ad palpebram concidet, eamque attollere prohibebit.

[a] Medicum enim uti providẽria optimum eſt, inquit Hip. lib. 1. præd.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

bit~. Sed quoniam non eſt ſatis, carnem ſecuiſſe, ut os conſpectui ſubiiciatur, niſi ſimul membranam (quæ pericranium dicitur) ab oſſe diduxerimus, ut calvariæ ſubſtantia, omnibus tegumentis denudata conſpici poſſit, & citra partium ſenſibilium læſionem, ſcalprum & terebram admittat: idcirco ne quid ad hoc ſectionis munus ſpectans prætermiſſum foret, illud obſervari voluit, quemadmodum & *a* illud poſtremo additum, ut ulcus univerſum decerptis filamentis, vel molli ſtupa, ſi alia deſint, ovi albo madidis impleamus, in eum uſum ne caro concidat, ſed in proximam diem nullo negocio optime pateat~.

a Paucos videas chirurgos qui hoc præceptũ ſervent: quin ſemper intenti ſunt in adducendis vulnerum labiis, quaſi illa cõpreſsione velint agglutinare ulcus. at ex Hip. lib. de ulce. ulcera non purgata, non committi ſolent, etiamſi adducantur.

teat. Hinc igitur colligite, linamentum, & cataplaſma iam reprobatum, ſectione adhibita comprobari. Prima curatione peracta, eorum omnium, quæ univerſalia dicuntur, ratio habenda eſt. nam eadem die, priuſquam commoti totius corporis humores ad læſam particulam confluant, minuenda plenitudinis avertendæque materiæ cauſa. Si nihil impediat, media oppoſiti lateris vena eſt aperienda, ætate, temperatura, anni tempore, *a* effluxique ſanguinis ex vulneribus copia, & virium robore perſpectis; eadem etiam interdum ante quartum vel ſeptimum iterata ab affecto latere venæ ſectione, ſi incipientia circa pla-

a Sãguinis ex vulnere copia impedit venæ ſectionem. ideo Celſus probe monet, ſi parum effluxerit, pati fluere tutũ eſſe, vel cubitũ tundere: multoque magis, ſi vulnus ebrietas præceſſerit; quod non raro contingit Helvetiis.

plagam inflammationis ſigna, auctaque febris id perſuadeant. a Sequenti die, nulla expectata humorum coctione, eo quod bilis, ex ira & dolore agitata, ad ventriculum & caput facile deferatur, bilem purgans medicamentum protinus exhibendum eſt, Hipp. exemplo, qui tertio fract. in fracturis cum vulnere, veratrum eadem die propinabat. pro ſapientis igitur medici iudicio, vel mel roſ. ſolut. addito rhabar. vel ſyrup. ex infuſ. roſ. vel manna vel caſſia exhiberi poterit, quod opportunius videbitur, habita plenitudinis, ætatis, temperaturæ, & conſtitutionis ratione. Sequentibus vero diebus, mane ſingulo,

a Plerunq; fit & ferme ſẽper, ut qui vulnerantur ſano ſint corporis habitu, & non niſi ſalubres urinæ conſpiciãtur, ab initio præſertim. ideo non eſt quod dubitemus de humoribus crudis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

gulo, idoneus ſyrupus, vel eius loco iuſculum alteratum præbeatur, corpuſque denuo ante ſeptimum, vel undecimum, expurgetur. Iniectis tamen interim tertio quoque die *a* clyſteriis, ſi minus alvus reſpondeat frictionibus; omnique diverſionis genere inſtituto. Quod vero ad rationem victus attinet, modicus cibus & aqua (authore in lib. de ulceribus conſulente) pleriſque ulcerum prodeſt, & præcipue in capite, quandiu inflammationis periculum imminet. *b* Panis igitur contritus ex aqua decoctus, cum lacte ſeminum melonum præbeatur. interdum danda ptiſana, niſi ægris nauſeam excitet; vel delicatiori-

a Clyſteria lævia admodũ ſint, ne magis ægrum commoveant.

b Panatella ſic dicta iis maxime convenit quibus inſciſſi ſunt temporales muſculi. nam hi omnino à cibis duris arcendi & in quibus maſticatione opus eſt.

tioribus panis ex iure pulli decoctus; vino granatorum cum aqua & pauco ſacchario in potu exhibitis. Sit interim in obſcuro æger; ſatis elato capite, ſuper pulvillo ex lana, vel goſſipio, aut ſi æſtas fuerit, ex *a* alga confecto decumbat. Silentium contineat, nihil ſolidum dentibus atterat, caput huc illuc minime agitet, in latus vulneri oppoſitum decumbat, ita tamen ut ſanies expurgari poſſit: omnem denique animi motum, tam iræ quam læticiæ effugiat: nemo ad riſum, vel nimiam læticiam commoveat. Interdiu, niſi ſumma urgente neceſſitate, non dormiat. Externorum etiam ratio habeatur, ne à ſomno, &

a Alga nõ apud omnes in promptu eſt: ſed quum frigida & ſicca ſit ordine ſecũdo, multa eius loco parari poſſunt. Ego antẽ aliquando præſcripſi utiliter roſaceos panes, iis potiſsimum qui inſomnes noctes agebant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

quiete, per ſtrepitus & tumultus excitetur. Si æſtas fuerit, locus eligatur temperatus, nec ſoli admodum expoſitus. Præterea ſi per hyemem in cubiculo ignis accendatur, à nimio calore non minus cavendum eſt, quam ab immoderato frigore. Danda inſuper opera ne ex igne fumus excitetur, quo ſuo nidore capiti & reſpirationi obſit. Odor poſtremo quiſque vitandus eſt: nam malus, naturæ inimicus, bonus vero caput replet, ac ſternutationes interdum movet.

TEXTUS.

POſtridie a *ubi linamenta ſubtraxeris, inſpiciendum eſt, quo malo teneatur os. quod ſi cu-*

iuſ-

a In magnis & amplis vulneribus aliquando non ſecundo die detegimus plagã, ſed uſque ad tertium expectamus, timẽtes hæmorrhagiam: quo tamen citius fieri poterit, eo melius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

iuſmodi noxa fuerit comprehendi nequeat, nec conſpicuum ſit, num mali aliquid ſenſerit; probabileque ſit, telum os attigiſſe, ipſumque violaſſe: ſcalpro radendum os eſt, in altitudinem & longitudinem hominis, atque etiam tranſverſum, propter rimas, quæ conſpectui non ſubiiciuntur, & propter colliſa quæ latent, quum os non deſederit ab alio capitis oſſe recedens: ſcalpro enim deprehenduntur oſſis vicia, ſi alioquin manifeſta non fuerint. Item ubi teli ſedem in oſſe intueris, radenda eſt & ipſa ſedes, & oſſa, quæ iuxta ſunt. interdum enim ſedi adiicitur fiſſum, & colliſum, vel colliſum tantum, quæ deinde latent, quum conſpectui non ſubiiciantur. Poſtquam ſcalpro os deraſeris, ſi tibi exigere ſectionem videtur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ſecare debes, neque pati ut res tertium diem excedat, priuſquam ſeces, ſed intra id ſpatium ſecabis, a præſertim ubi tẽpus calidum fuerit, tuque à principio adbibearis.

a Tempore æſtivo citius ſecãdum os quã hyemali, quia æſtate citius putreſcit, & pus copioſius gignitur, & ex conſequẽti os facilius gangræna tentatur.

COMMENT.

HÆc authoris ſententia ſatis demonſtrat, ſectionem ea ratione adhiberi, ut fracturas calvariæ introſpicere liceat, quæ rationali atque artificioſæ coniecturæ reſpondeant. Sed quoniam quædam rimæ exiguæ adeo, & tenuiſſimæ ſunt, ut circa primos dies, niſi propoſita diligentia adhibeatur, medici conſpectum fugiant, idcirco denudata calvaria ſcalpro radenda eſt, & recte & oblique, ac per tranſverſum.

nam

nam abraſio denſiſſimam oſſis ſuperficiem auferens, rimam detegere ſolet. inter abradendum enim tenuiſſima ſanguinis linea ſecundum rimæ proceſſum, quaſi filum ſericeum, coccinei coloris, diligenter intuenti ſeſe offert. quam conſpectam lineam tandiu radere oportet, quouſque rima omnino aboleatur, quamvis ad membranam uſque perveniret. Pari etiam ratione eſt radenda ipſa teli ſedes, & oſſa proxima, niſi ſutura nos remoretur: eoque magis, ſi ſuſpicemur, rimā, vel colliſionem, ſedi additam fuiſſe. ipſamque adhuc ſimplicem teli ſedem ex uſu eſt æqualem reddere, ne ſanies à carne emanans, atque ei inſinuata, abſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

tergi nequeat, & interim computreſcere os faciat. quod ſi fecerimus, non ſolum hoc imminens diſcrimen evademus, ſed caro etiam ipſa, quæ ab oſſis ſubſtantia, medulloſa tractu temporis expullulat, oſſe abraſo facilius germinare poterit. quapropter ſi rimam, colliſionem, introceſſionem, vel ſedem ad membranam uſque pertingere reperiamus, eo uſque oſſis ſectio ſcalpris vel terebra adhibita perſequenda eſt quouſque omnino obliteretur, ne quid intus lateat, ſed libere expurgari plaga poſſit. a Illud tamen præ ceteris (ſi eadem die ab ictu curationem ſuſceperimus) è memoria non excidat, univerſam operationem

a Gal. 8. de uſu part. dum cótra Ariſt. oſtēdit, cerebrum non eſſe refrigerium cordis, iubet ut oſſa capitis celerrime ſcindātur, ne cerebrum (inquit) refrigeretur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

nem circa calvariam tridui ſpacio, ante diem ſcilicet quartum, abſolvendam eſſe. Sed nemo veſtrum obſecro admiretur, nec mihi vitio vertat, quod eandem ſententiam toties refricaverim, quod eam plurimi negligunt, potiuſque *a* Pauli reprobandæ ſententiæ adhærent. qui lib. 60. cap. 90. æſtate ante ſeptimum, hyeme ante decimum quartum diem aperiendam eſſe calvariam voluit. ſi enim tandiu rem produxeritis, ſerum manus opera præbebit auxilium. præceſſerint enim gravia ſymptomata, ut rigor, vomitus, delyrium; quibus, cerebrum conſenſiſſe indicatur. ſapientiſque eſſet medici, omnem potius operam

a Pauli error in aperienda calvaria. verumtamen crediderim Pauli locum mutilatũ eſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

prætermittere, quum nihil prodeſſe queat, quam rationales artis adminiſtrationes infamiæ nota afficere. accelerandumque eo magis negocium eſt, ſi æſtas fuerit. nam à quarto die uſque ad ſeptimum ſuppurationi maxime intendit natura. quo tempore quum in negocio ſit, & circa partem affectam humores ferveant, nulla ratione impedienda aut perturbanda eſt. idcirco Hip. 3. de fract. comm., fracta, luxatave, poſt ſecundum diem reponere prohibet: atque adeo, ut in vulneribus fracturæ adiunctis, ſpecilli etiã admotionem interdicat. propius enim, inquit, ad mortẽ, quam ad ſalutem ægrum perduxeris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Textus.

Verum ſi ſuſpiceris, ne os fiſſum, colliſum, vel utroque modo violatum ſit: de ſermone hominis coniecturam faciens, quod vehementer ictus fuerit: quod à valido vulnus acceperit, ubi alter ab altero vulneretur: quod telum quo percuſſus fuerit ex eorum numero eſt, quæ graviter lædunt: dein quod [a] *vertigo ſequuta eſt, oculi occæcati ſunt, æger ſine ſenſu quaſi dormiens iacuit, concidit: hæc ubi ſuperveniunt, niſi patet, os ne fiſſum, colliſum, aut utroque modo læſum ſit, neque alioquin videre licet: inducendum eſt ſuper os medicamentum aliquod nigrum, quod dilutum ſit, ac ſuper pla-*

 gam

[a] Si quæ fracti cranii alia cõiecturis conſtant, certa ſunt alia. quæ hic recẽſentur cõiecturalia ſunt: multos enim vidi, ab ictu, & potiſsimum lapideo, vertigine laboraſſe, demiſsione ſanguinis per nates & aures, vomitu, & huiuſmodi, qui tamen nulla cranii fractura laborabant; nã curabãtur abſq; cranii ſectione. Ita ut colligi poſsit, in fracto cranio ſemper hæc adeſſe ſigna; at ubi apparet, non ſemper eſſe cranium fractum. Quod fit propter commotum & concuſſum cerebrum. At certa ſigna ſunt pili alligati vulneri, & ſedes quæ ſeſe oculis præbent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

gam linteum dandum, & ex oleo madefaciendum, dein cataplaſmate ex diluta polenta impoſito alligandum. Poſtridie autem reſolvere oportet, & purgata plaga os radere. quod ſi integrum non fuerit, ſed fiſſum & colliſum, reliquum quod raſum erit, album invenietur; fiſſum vero & colliſum, quum medicamentum combiberit dilutum & nigrum, in alio oſſe, quod album erit, nigrum conſpicietur. Iterum quoque rima, quam nigram intueris, alte radenda eſt. quod ſi radendo huiuſmodi rimam, quæ nigra apparet, ita ſummoveas, ut deliteſcat, colliſum quidem os fuit magis, aut minus, atque ob id etiam fiſſum rima, quam ſcalper detraxit, res autem minus terribilis eſt, minuſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

nuſque negotii faceſſit, rima deliteſcente. ubi altius deſcendit, & ſcalpro detrahi non poteſt, ad ſectionem veniendum eſt.

Comment.

Quum authori eſſet perſpicuum, aliquando fieri ut abraſio adhibita, ad tenuiſſimæ rimæ noticiam non ſufficiat, quam tamen ratio adeſſe omnino ſuadeat, eo quod æger vehementer ſe percuſſum dixerit à robuſto viro, gravi telo, quod vertigine & caligine correptus fuerit: tunc ſuſpicari oportet os fractum eſſe, & ob id ſuperimponendum nigrum aliquod medicamentum, quod rimæ inſinuatum, eiuſdem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

index evadat. [a] Sed animadvertite, ne quod plerique hodie faciunt, ſcriptorium atramentũ admvoeatis, propter chalcanthum, & gallam: nam ſi aliqua eius portio pericranium & carnem attigerit, plurimum adferet incommodi: ſed vel librario utendum, vel pice cui roſaceum ſit admixtum. Sequenti die purgata plaga, ſcalpro radenda eſt calvaria; facile enim ab integro oſſe nigredo tollitur, remanetq; id tantummodo, quod in rimam eſt inſinuatum. hanc igitur nigram repertam lineam, donec obliteretur, etiamſi ad membranam pervenerit, radere oportet.

a Prudenter monet non eſſe utendum ſcriptorio atramento, propter chalcanthum, quod ſummopere mordax eſt. At typographorum atramentum, quum ſolũ conſtet fuligine & oleo è lini ſemine, ab eo nihil aut parum ex eius uſu ſequetur incommodi.

TEX-

Textus.

Sectione autem adhibita cætera facienda ſunt quæ ulceris curatio poſtulat: cavendumque ne os à carne, quæ minus recte curata fuerit, aliquo malo afficiatur: os enim, quod & ſectum eſt, & quod alioquin nudatum, aut integrum eſt, aut quamvis à telo violatum ſit, integrum apparet, ubi caro, quæ ipſum cingit, male curetur, inflammetur & comprimatur, magis periclitatur, ne purulentum fiat, licet alioquin futurum non eſſet: igneum enim os ipſum redditur, atque admodum inflammatur, ut quod ob ſubiectam carnem calefiat, inflammetur, motu pulſuque tentetur, & in omnia mala incidat quibus caro ipſa vexatur:

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

quæ quum ita ſe habeant, purulentum efficitur.

COMMENT.

EOdem docendi ordine hoc loco progreditur, quemadmodum in lib. de fract. prius enim dedocere quam docere intendit, ut ſcilicet omnem erroris caliginem prius diſcutiat, quam rectam curandi methodum proponat; cavendum eſſe dicens, ne os à carne quæ minus recte curata fuerit aliquo malo afficiatur. Quam rem momenti quum maximi pauciſſimis tranſigat, multaque divini authoris arcana ſub hac breviſſima ſententia lateant, eam pluribus aperiendam eſſe utile futurum arbitror. Nam multis mo-

modis caro & os male curari poſſunt. *a* alii quandoquidem primum ab initio calidiſſima, ac ſicciſſima medicamenta adhibent, elixiria appellata, quæ ex aqua ardenti & calidis pulveribus conficiuntur, vel ſecto, vel detrito vulnere, nulla interim Hippoc. præceptionum habita ratione. calidiora enim hæc, & ſicciora quum ſint, quam ætas plerumque, temperatura, regio, & anni tempus poſtulent, ex iis affecta pars igneum fervorem contrahit, partis humidum abſumitur, ſuppuratioque ipſa prohibetur, quæ ad inflammationem vitandam ſummopere eſt neceſſaria. Et quamvis hac irrationali medica-

a Error eorum notatur, qui aqua ardēti vulnera curare nituntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

dicamentorum adhibitione, curati interdum evadant, validæ id naturæ eſt aſcribendum, cuius robore curantis errata corriguntur. Male [a] etiam curatur caro linteis oleo, vel aqua, madidis, quum utrunque ſatis pateat ulceribus adverſari. male adhuc curatur calidiori, & acriori medicamento, quo pars irritetur, ac humor confluat, cuiuſmodi eſt medicamentum quod de Betonica vel capitale vulgo vocatur, eo quod celerrimæ ſuppurationi adverſetur, ad quam explendam moderata caliditas humiditati adiuncta requiritur. Præter hæc male curatur caro, ſi quis ambientis frigiditatem nimis veritus, multa capi-

[a] Multis oſtendit Hip. lib. de ulcer. aquam & oleum vulneribus non conducere, ſi non valde iam ad ſanitatem tendunt. Quare ulcera univerſa niſi vino humectãda confirmat. Nam ſic eum, inquit, ſano propius. Aqua autem & oleum, humida ſunt. Gal. autẽ lib. 3. de comp. medic. ſec. gen. ita temperat ab aquæ uſu, ut ne attingat quidem ulcus

capiti tegumenta ſuperpo-
nat, quibus non ſolum ul-
cus, quod temperato calore
gaudet, ſed & totum caput
ita obruitur, & incaleſcit, ut
ſano eidem capiti dolor &
flamma afferri poſſint. Ad-
dite, quod iiſdem compri-
matur plaga, quod Hippoc.
ſententiæ adverſatur. Immo-
derato denique calore, in-
natus calor diſſipatur, mate-
ria trahitur, partis tempera-
tura mutatur, continuum
ſolvitur, doloreque acce-
dente in ſolida oſſis ſubſtan-
tia igneus calor accenditur,
qui ſubiecto, membranis, &
cerebro facile communica-
tus, levi quamvis exiſtente
vulnere, curantis inſcitia,
ægrũ ad interitum propellit:
a dum enim imperiti frigi-
dum

a Plæriq; incidunt in ſcyllam putantes vitare charybdim. nam dum frigus vitãt, ignẽ accedunt.

dum evitare ſtudent, medium tenere neſciunt, ſed temere in flammam præcipitant, ignorantes, caloris exceſſum, magis quam defectum, circa initia adverſari, & verendum eſſe, eo quod ſanguis & ſpiritus, ad particulam affectam confluentes, eandem iuſto calidiorem reddant, ut proprii temperamenti fines excedat. Male poſtremo caro curatur, ſi quis circa principia linamenta adhibeat roſaceo omphacino madida. nam qui ea curandi ratione utuntur, partem inquiunt ſicco roborari, inflammationemque prohiberi: a nec agnoſcunt: ſola enim hac & una præcipue curatione, eandem excitari,

a Quare & concludendum, non eſſe utendum exſiccantibus, ubi ad ſuppurationē debet deduci vulnus.

ri, parte nimirum refrige-
rata, & conſtipata tranſpi-
ratione, & ſuppuratione
impeditis. Nam ſi Hipp.
ratio in libr. de ulcer. 3.
de fracturis, & hoc eo-
dem libro confirmata vim
habet, quod ſcilicet ul-
cus, & circumſitæ partes,
minime inflammationem
incurrant, expleta quam
celerrime ſuppuratione,
contraria ratione tunc ul-
cus, & circumſitæ par-
tes, maxime inflammatio-
nem incurrent, impedita
aut remota ſuppuratio-
ne.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

TEXTUS.

MAlum autem, in ulcere carnem humidam eſſe, hebetem, & diuturniori tempore purgari: Danda vero opera eſt, ut ulcus quam celerrime ſuppuret; hoc enim pacto quæ iuxta ſunt, inflammari non poterunt, ipſumque purum quam celerrime efficietur; neceſſe enim eſt, laceratam, colliſamque à telo carnem in pus verſam tabeſcere.

COMMENT.

ERroris caligine remota, ordo ipſe poſtulare videbatur, ut auream hanc ſuppurandorum vulnerum proponeret ſententiam, in qua univerſa curandi indicatio repoſita eſt. quam rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

quum pauciſſimis perſtringat, ſunt qui arbitrentur (quod oſcitanter authorum ſcripta percurrant) curationem ab eo non fuiſſe traditam. ſed ut maxima ſolent ingenia, quum rectam manu curandi rationem (quæ difficillima eſt) longa ſatis oratione explicuiſſet, quæ ad curationem attinent, per medicamenta ſatis paucis complexus eſt, ſola indicatione propoſita. Quibus autem citiſſime ſuppuratio hæc ad inflammationem vitandam expleatur, ſilentio prætermiſit, quum huiuſmodi mediocriter exercitatum medicum latere nequeant. *a* Quis enim ignorat, ſuppurantium naturam moderatam caliditatem humidita-

a Pus moventia mediocriter calfacere & humectare magis quam exſiccare, ſatis ex Gal. conſtat lib. 5. de comp. med. ſecundum gen. At ex 6. eiuſdē, digerentia quæ aſtrictionem quandam recipiunt, longe tutiora ſunt, quam quæ digerentia ſolum, & potiſsimum in plethoricis corporibus: in quibus nō raro fluxionis periculum timetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ditati adiunctam expoſcere, quæ calori innato aſſimiletur? Sed age, proponamus duo medicamenta, ratione & authoritate comprobata. Alterum Di. Authoris 3. de fract. quo lethales plagas fracturis adiunctas curare docet. in quarum curatione, quemadmodum & hoc loco, quam citiſſime ſuppurat, ut inflammationis diſcrimen vitemus. Tria continet medicamentum roſaceum, ſcilicet picem nigram, & ceram, quod ab eo picatum dicitur. habet roſacei unc. j. picis nigræ vel navalis unc. dimidiam, ceræ albæ drach. ij. vel. q. ſ. pro anni temporum diverſitate, conficiatur medicamentum mediocris con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

conſiſtentiæ, quod decerptis filamentis illiniri poſſit. Alterum vero facultatis eiuſdem, quod etiam mihi eſt in uſu, habet lachrymæ abiectis puriſſimæ, roſacei optimi an. unc. j. ceræ albæ unc. mediam, plus minus, pro anni conſtitutione, ut mediocri ſit ſubſtantia, inter durum & liquidum. Horum altero linamentis illito, tandiu curandum eſt ulcus hyeme quotidie ſemel, iterato per æſtatem, quouſque attritum & quod confluxerat probe ſuppuretur, & expurgetur. Fractæ interim, vel denudatæ calvariæ, ut eius temperamentum conſervetur, vel decerpta filamenta per ſe ſicca ſuperdentur, vel thuris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ris & maſtic. aliquid tenuiſſime pulveriſati ſuperdetur, ita tamen ne pericranio, vel carnoſis partibus adhibeatur. Habita etiam ætatis, temperaturæ, & temporis ratione, ſi ſicciora vel minus ſicca poſtulent. Illud tamen præ cæteris memoria excidere non debet, quod illorum conſilium minime probandum exiſtimem, qui linamēta ſuppuratorio [a] medicamento illita, roſaceo liberaliter madefaciunt. nequeunt enim evitare iſti, quin oleum, oſſi & ulceri infeſtiſſimum, ad calvariam, quæ ſiccis gaudet, perveniat, eoque magis quod per ſe adhibitum, facile flammam ſuſcipiat. Videnturque immemores medicamenti, quod

[a] Superiori cōmentario docuit, eos male carnē curare, qui roſaceo omphacino, ſive digeſtivo uterentur, quod magis inflāmarent, ob aſtrictionem. Nunc vero & eoſdē reprehēdit, qui digeſtivo eadē olea liberalius adhibent, ob eandem rationem, & quod calvariæ infeſtiſſima ſint, quæ non modo gaudet ſiccis potentia, qualia eſſe poſſent dicta olea, ſed & actu, ut pulveribus ex thure & maſtiche.

quod roſaceum habet; illita fuiſſe filamenta. quod quidem propter aliorum miſcellam, nec ita inflammabile, nec diffundi eſt aptum. Quum ergo rationi & experientiæ adverſetur, videtur prætermittendum. nam facile innoteſcet, opportunius medicamentum duorum propoſitorum altero excogitari non poſſe. Et quamvis contrario colore, parum diſſimili tamen facultate ſunt prędita.[a] Quod vero ad circumſitas partes attinet, eas oxyrrhodino illinire expedit, ut influentem ad plagam humorem repellamus, ab ulcere tamen trium vel quatuor digitorum ſpatio recedentes, ne ſuppurationem impediamus:

[a] Dum ſuperius prohibebat omphacinum in ſuppuratione carnis, dicebat id inflammationem acceſſere. Nunc cōtra: ſed utrumque verum eſt, at unum ſit eſſentialiter, aliud accidentaliter. Quæ autē potior ſit ratio cur id in uno potius præſtet quam in alio, docet Hip. & Gal. lib. 5. aphor. 20. inſtituti autem nō poſtulat ratio, ut ſim prolixior.

latum dein linteum ex iiſdem illitum, vel ex diachalcitide Galeni, quod ex roſaceo & recenti axungia cõpoſitum ſit, quod linamenta plagæ appoſita cuſtodiat, ſuperdetur, ne medicamenta, præcipue per noctem, maximo cum incommodo ab ulceribus recedant: eandem curandi ſeriem uſque ad ſeptimum diem obſervantes, niſi attrita vulnera diuturniorem poſtulent ſuppurationem. Singulo præterea die, hyeme præſertim, ſemel tantum plagam curare conducit, donec quartus dies præterierit. qui enim bis curant, ut aliquid facere videantur, nihil aliud proficiunt, quam quod ſapientiſſimę naturę functiones (dum ſup-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ſuppurationi incumbit, & quaſi in opere turget) impediant, plagam aëri exponentes: niſi forte id primis diebus neceſſitate coacti fecerint, ut ante quartum diem oſſis ſectionem, & quæ circa calvariam facienda ſunt, in tempore abſolvantur. Æſtate vero, quod ſuppurationes celerius fiant, mane, & veſperi, curare ex uſu eſt, ut quæ genita eſt putredo removeri poſſit, eoque magis ſi plaga maior fuerit. Quod vero ad ea attinet, quæ aëris frigidi vitandi cauſa adhibentur, attendendum eſt anni temperatura, & conſuetudo. Satius enim ipſe ſemper duxi, cubiculi, in quo æger decumbit, aërem alterare, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

multis operimentis caput obruere, affluxuique occaſionem præbere. Quid enim prohibet hyeme quamvis aſpera cubiculi aërem ita temperare, ut ſit veri vel autumno ſimilis. a Pro deligatione autem, quum eius vix alius ſit uſus, niſi quod medicamenta cuſtodiat, duæ faſciolæ ſatis eſſe videntur, latæ, molles, tenues, quarum altera ſub mento fiat, altera vero ad primæ cuſtodiam circum caput feratur, cuius nodus poſt aurem alteram collocetur, ne decumbenti ægro, & plagæ, aliquid incommodi adferat, ſuperpoſitis tamen multiplicibus linteis, mollibus, quadruplicibus, vel etiam pluribus, pro conſuetudine,

a Omniũ faſciarum & deligationũ vicẽ ſupplet in capite cucupha linea.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

& natura ægrotātis. Ad ſummam; ea mihi in cooperiendo capite vulnerato videtur ſervanda regula. Primo, ut ex ſolis linteis, non ſtuppis, non pellibus, non lana, tegatur, quandiu ſcilicet inflammationis periculum imminet: nam linteorum temperatus eſt calor, reliquorum vero acrior quam conveniat. Secundo, ut tanta linteorum copia ſuperdetur, ut interrogatus æger, nihil ſe frigoris, per noctem præcipue, nihil etiam caloris ſenſiſſe dicat, ut & addere aliquid, & diminuere pro oportunitate liceat. Sed hæc de vulneris curatione uſque ad expletam ſuppurationem dicta ſint ſatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

TEXTUS.

POſtquam purgata erit, ſiccari ulcus debet. nam ſic mature admodum ſaneſcet, & caro non humida, ſed ſicca producetur, ſic etiam in ulcere caro minime ſupercreſcet.

COMMENT.

QUamvis author in lib. de ulcer. ſcripſiſſet, communem curandi ulceris indicationem, ipſam exſiccationem eſſe, eo quod ſiccum ſit ſano propius, humidum non ſano: quominus tamen ſtatim à principio exſiccantibus utamur, ipſa ſuppuratio, quæ ad inflammationem evitandam eſt maxime opportuna, prohibet. nam quę ſiccant, ſuppuratio-ni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ni adverſantur, attritam vero carnem, humoreſque confluentes putreſcere, ac purgari neceſſe eſt. quo munere expleto propria ulceris curandi indicatio inſurgit. Quapropter relinquitur ſapientis medici iudicio, ut opportune, poſt ſeptimum, vel nonum diem, à purgantibus recedat, exſiccantiaque adhibeat, a quæ & glutinantia & ſarcotica dicuntur, habita tamen ætatis, & temperaturæ ratione. carni enim deperditæ ſimilis eſt generanda. namque ſi plus iuſto medicamentũ exſiccet, tantum aberit ut repleat, ut carnem etiam abſumat, & cavum ulcus, cruentumque reddat. ſi vero ulcus humectetur nimis, mollis, laxa, & fun-

a Glutinãtia in eo à ſarcoticis differunt, quod illa his ſicciora ſint, neque detergendi vim habeant, ut ſarcotica: & ſarcotica quũ generandæ carni apta ſunt, prius adhibenda, deinde glutinantia, quibus tenella & creſcens caro cohibeatur coniungaturque.

fungoſa caro gignetur, cicatrici obducendæ inepta, propter quam curatio diu proferetur, oſque ſubiectum, nimio humore madens, corrumpetur, atque abſcedet. ſi quis enim puero vel [a] molli habitu prædito Iſis medicamentum durioribus corporibus opportunum adhibeat, carnem abſumet: ſicco vero corpori ſi thuris, maſtich. vel ſarcocol. pollinem inſperſerit, fungoſam carnem generari conſpiciet. moderate igitur ſiccantia adhibenda ſunt. nam generandæ carnis munus naturæ eſt: artis vero, impedimenta removere, tenue ſcilicet particulæ excrementum quantum eſt ſatis conſumere, craſ-

[a] Porro inquit Gal. locis citatis de med. cōp. ſecun. gen. 2, molliora humidioraque corpora, imbecillioribus medicamentis egent: ut vehementioribus quæ prorſus contraria exiſtunt.

craſſum vero detergere. cuiuſmodi hoc eſt, quod habet lachrymæ abietis unc. ſemis, ſyr. roſat. ſimpl. unc. j. thuris electi ſubtil. pulver. q. ſ. ut citra ignem, mediocrem formam acquirat, ut linamentis commode illiniri queat. nam opus eſt ut medicamenta exſiccent, citra morſum tamen, ſimulque abſtergant, abſque eo quod moleſtiam ulceri inferant. cuiuſmodi in mollioribus maſtich. thus, ſarcocol. paulo ſiccioribus vero, myrrha, manna thuris, aloë. hæc enim omnia præter id quod moderate ſiccant, & detergent, ſuo lentore calorem innatum fovent. in durioribus tamen corpo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ribus *a* Iſis medicamentum opportunius eſt, ad ſimilem carnem regenerandam. plærumque tamen inſperſis ſuper os iam dictis pulveribus, donec ſquama abſcedat, ſiccis linamentis curare conſuevi, barbari emplaſtri linteo ſuperdato. qui enim oleum vel unctuoſa adhibent, molliuſculam & ſupereminentem carnem adgenerant, ſubiecto oſſi infeſtam, quam poſtea abſumere acrioribus medicamentis, non exiguo diſcrimine coacti ſunt, præter id quod diuturnam valde curationem reddunt.

a Iſis, & barbarum, parata non habentur ita frequenter apud noſtros pharmacopœos, ut in Italia. Sed horum deſcriptionẽ à Gal. venari poteris; ex lib. 2.4.& 5.de compo. med. ſecun.genrum & à Paulo lib. 7.

TEX-

TEXTUS.

IDem quoque reſpondet in membrana, quæ cerebrum tegit. nam ſi os protinus & ſecetur, & patefacta membrana detrahatur, hæc quam celerrime purganda eſt & ſiccanda, ne diutius madens hebes fiat, & attollatur: quæ quum ita accidunt periculum eſt ne putreſcat.

COMMENT.

QUoniam potuiſſet quis dubitare an eadem curandi ratio, circa carnem propoſita, membranæ conveniat, propterea inquit, membranã non mitius quam ipſam carnem celerrime purgandam & ſiccandam eſſe, vel telo eadem, vel manus opera detecta fuerit. Pur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

gatur autem vel ſuppuratur roſaceo compoſito, in duplici a vaſe moderate calefacto, ad quartum uſque diem infuſo. poſtquam vero quartus præterierit, & curatio ad vota ſuccedat, relicto roſaceo, quæ modice abſtergunt & ſiccant, infundenda ſunt. cuiuſmodi eſt ſaccharum dilutum, quod vulgus Iuleb violatum appellat. quorum altero infuſa filamenta, vel linteum ſericeum coccineum molle ac tenue, membranæ superponimus, carni poſtmodum adhibitis iam dictis medicamentis. Hæc citra morſum membranam detergunt. nam ſi quis diutius oleo utatur, putreſcet nimis, & ſordida evadet: ſin autem acrio-

a In duplici vaſe calefit roſaceum, ſi in poculo æneo vel terreo poſueris aquam calidam, & huic imponas ampullã lati orificii, roſaceo ſemiplenã.

ribus

ribus utamur, ut a melle roſaceo, aut ſyrupo roſ. ſicco, dolor & inflammatio excitari ſolent, bilioſis præcipue, acrique ſenſu præditis, horumque acrium abſtergentium uſu, aliquos periclitatos fuiſſe obſervavi. Abſterſa ut diximus membrana, supereſt ut ſarcoticis, ætati & temperaturæ proportionatis, repleamus. &, licet ſi manna thuris, ſarcocolla, aloë, myrrha, vel huiuſmodi inſperſis, adgenerari caro poſſit, animadvertendum tamen, ubi membrana ab oſſe paulo latius abſceſſerit, gummata hæc facile ſub calvaria glutinis in modum concreſcere, & medico ut auferantur negotium faceſſere: idcirco ne

a Oculata conſideratio, de melle & ſaccharo, quæ utraque quum detergant, mel tamẽ maiore cũ acrimonia & caliditate, ut nõ tutus ſit hujus uſus detecto cerebro.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ne ex horum glutinoſorum uſu aliquid incommodi adferatur, ſanieique expurgatio differatur, eorum vice mihi probatum ac in uſu eſt, decoctum vini dulcis oligophori, in cuius libra dimidia (omni tamen inflammationis ſublata ſuſpicione) mannæ thuris, ſarcoc., myrrhæ, an. dra. ij, decoctæ fuerint: nam hæc decoctio, præter id quod excrementa abluit, cohibito præcipue naribus obturatis aëre, ſiccat & replet.

TEXTUS.

Os autem, capite vulnerato, abſceſſurum eſt ab alio oſſe, ſive ita inciſum ſit, ut oſtendat qua telum inſederit, ſive alioquin plurimum nudatum

abſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

abſcedit, quum exangue admodũ ſit. Exhauritur autem ſanguis in oſſe, tempore, & maxima parte medicamentorum: celerrime vero abſcedet, ſi quis ulcus celerrime purum præſtet, deinde & ipſum & os ſiccet, idque & plus, & minus: nam quod celerrime areſcit, attenuaturque, eadem cauſa potiſſimum abſcedit ab alio oſſe, quod quidem ſanguinem habet, & vivit, quia redditum exangue ac ſiccum, ab eo, quod ſanguinem habet, & vivit, valde recedit. quodcunque etiam os à ſuo ſtatu recedens deſidit, vel quod perruptum ſit, vel quod late omnino præſciſſum, minus periculoſum eſt, membrana inviolata. quod item pluribus rimis & latioribus fractum eſt, minus adhuc periculoſum eſt, & facilius avellitur, neque huiuſ-

modi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

modi quippiam ſecare oportet, aut periculoſe conari, priuſquam ſponte ſequatur, detrahere: quod tunc fieri par eſt, quum primum ſubeunte carne relaxatur. a *Subit autem ab ea ſede, qua partes duplicis oſſis inter ſe connectuntur, & ab eo quod ſanum eſt, ſi ſuperior tantum pars oſſis corrumpatur. Hac utique via, & caro quam celerrime ſuccreſcet ac producetur, & oſſa remittentur, ſi quis in vulnere ad pus mouendum & purgandum feſtinet: quod ſi totum os deſidat, ſic ut utraq; parte, tam inferiori, quam ſuperiori, intro ad membranam ſecedat, ubi eadem curatio adhibeatur, celerrime & ulcus conſaneſcet, & oſſa deſidentia remittentur.*

a Vult Hipp. ut ſubnaſcatur caro ex duplicata oſſis lamina & ex ſano oſſe, ſi ſuperna oſſis pars ſola fuerit corrupta.

COM-

COMMENT.

HINC abſcedentium ᵃ ſquamarum rationem diſcere licet. nam quamvis indies aliqua ex parte repleri videatur ulcus, nequit tamen antea agglutinari, quam oſſis denudati ſuperficies, ac totum id, quod fractum & comminutum fuerat, abſceſſerit, & à carne, quæ ab oſſis ſani medulla expullulat, propellatur, & abiiciatur. nam oſſis adulti hominis ſuperficies ita denſa & ſolida eſt, ut eam emergens caro pervadere nequeat niſi ſquama abiiciatur. Fieri enim minime poteſt carnem labiis vulneris adnaſcentem oſſi adhærere, ſed

a Quanquam à primo curationis exordio, pilos exciſos, & oſſa removere debeamus, accidit tamen plærumque, ut aut propter dolorem, aut quod ſemiſecta lateant, nō poſsint auferri: ea poſtea natura ſagax & valida propellit, vel etiam ferme ad cicatricem deductis vulneribus. ut etiã 6. ad calcem meth. med. moneat Gal. ut ſi quid fractum longius excurrat, id ad finẽ uſque non perſequẽdum, ſed naturæ committendum, interdum nulla præceſſa oſsis ſectione, ſquama tamen exiliat, ut facilius caro oſsi inhæreſcat.

ſed à proprio neceſſe eſt oſſis alimento, ut à firma baſi, expullulet, pericraniique loco, oſſis indumentum efficiatur. In pueris tamen ob ſubſtantiæ oſſis raritatem, nulla interdum abiecta ſquama, caro oſſi adnaſcitur, & per poros expullulat. Harum ſquamarum abſceſſus in adultis, 30. vel a 40. die fieri ſolent. nihil tamen certum eſt. nam vel maior, vel minor pars abſcedit, vel ſicca, vel mollis eſt ægri temperatura, æſtas, vel hyems; anterior, poſterior, vel ſuprema capitis pars affecta eſt. Abiectis ſquamis, caro oſſi & membranæ adnata labiis agglutinatur, ſiccisque filamentis, barbaroque emplaſtro ſuper-

a Separatio oſsis quod circumambit cerebri ſedem, intra quadrageſimum vel quinquageſimum diem ſequi ſolet, ut & aliarum ſquamarum abſceſſus.

perpoſito ad cicatricem perducitur. Eadem & in cæteris oſſibus carne denudatis eſt ratio. Ut igitur ſquamæ celerius decidant, ſicca (ut diximus) adhibenda ſunt: qui enim humectantibus curant, ſquamarum abſceſſus, univerſamque curationem diutius producunt.

Textus.

PVerorum oſſa tenuiora ſunt, & molliora, quoniam plus ſanguinis habent, & caua ſunt, non dura, non denſa, non firma, atque ubi à telo pari, vel etiam imbecilliori æqualiter, aut etiam levius vulneretur tenerioris pueri os, magis ac citius purulentum evadit, quam robuſtioris. Quod ſi vulnus alio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

alioquin mortiferum ſit, citius decedit tener, quam robuſtus annis. a Verum oportet, ubi os nudatum ſit, id operam dare, ut cognoſcamus quod conſpectui non ſubiicitur, intelligamuſque, num os fiſſum ſit, & colliſum, vel colliſum tantum, vel non ita inſciſſum, ut oſtendat qua telum inſederit, an præter id colliſum, aut fiſſum, aut utroque modo læſum ſit: b atque ubi aliquo ex his modis violetur, detrahere ſanguinem oportet, oſſe per exiguam terebram perforato. Subinde autem os conſiderandum eſt: tenuius enim & minus altum eſt tenera ætate quam firma.

a Superius de oſsis fracturis in genere actum eſt. Nunc ad pueros hic locus reſtringi videtur.

b Superiori commentario dictum eſt, non ſatis tutam eſſe ſectionem in pueris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Comment.

QUoniam puerorum oſſa, pro caloris & humiditatis copia, putredini ſuſcipiendæ ſunt magis idonea, eoque magis, quod rara ſubſtantia prædita ſint, quam putredo minori negocio pervadere poteſt, & ad profundum pervenire, quam in adultis, in quibus, ob ſubſtantiæ duriciem, minus facile putreſcunt, idcirco ut hæc præcognoſcere & prædicere medico liceat, hac admonuiſſe voluit ſententia. nam quum ob oſſis imbecillitatem, molliciem, & raritatem, tum offenſam graviorem experitur, tum facile putredo invadit, & cerebri membranam afficit; ex

pari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

pari etiam ac minore ictu, ubi intereundum ſit, celerrime communicata cerebro læſione, celerius pueri, quam grandiores natu intereunt. Ubi autem fiſſio, colliſio, vel ſedes in oſſe pueri perquirenda, atque inveſtiganda, atque ſecanda ſit, animadvertendum eſſe docuit, quam caute, & qua dexteritate, quamve exiguis inſtrumentis oſſis ſectio pertractanda ſit, propter eius molliciem & tenuitatem. ſi ſcalpris igitur, aut terebra utamur, ſæpe attollenda manus, ne ſubiecta membrana violetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Textus.

Ubicumque autem ex vulnere intereundum ſit, neque poſſit homo ſanitatem recipere, neque ſervari, ex his notis intelligere convenit moriturum, & quod futurum eſt, præſignificare. Hæc enim ægrotanti accidunt, quum quis fractum eſſe os percepit, ſive fiſſum ſit, ſive colliſum, ſive quovis modo ruptum: neque id radat, neque ſecet; quaſi non egeat, & inviolatum ſit. Hyeme plærumque ante 14. diem, æſtate poſt 7. febris accedit: quæ quum ſupervenit, vulnus reddit non ſui coloris, & ſaniem modicam effundit: quodque ex ipſo inflammatum eſt emoritur, glutinoſum efficitur, & carnem ſale conditam repræſentat, rufum, ſublividum: tuncque corrum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

pi os incipit, & nigrum fit, leve exiſtens, tandem ſubpallidum ſe oſtendit, vel albidum. At ubi iam purulentum eſt, puſtulæ in lingua naſcuntur, & laborans mente non conſtante conſumitur. Pleriſque etiam nervorum diſtenſio in altera parte corporis supernaſcitur. ſiquidem vulnus in ſiniſtra parte capitis fuerit, nervorum diſtenſio dextram corporis occupat: ſi dextra capitis vulnerata ſit, nervi in ſiniſtra corporis diſtenduntur. Sunt & qui attoniti fiunt, ſicque æſtate ante ſeptimum diem, hyeme ante decimumquartum pereunt. Idem vero ſignificant hæc indicia vetuſtiori vulnere, atque recenti.

COM-

Comment.

Quum ad prædictionem univerſa hæc pertineat ſententia, eam diligenter perpendere convenit. *a* nam quemadmodum orator non ſemper perſuadere potis eſt, ita & medico aliquando in ſanitatem ægros reſtituere non licet. ſapientis tamen medici eſt, imminens diſcrimen, ad calumniam evitandam, præcognoſcere ac prædicere: nihil enim medico magis turpe accidere poteſt, quam, eo id non proſpiciente, ac ſalutem etiam pollicente, ægrum ad interitum properare, quod inexercitatis, & ſciolis, non raro accidiſſe conſpicimus. propterea à D. Hipp. ſigna pro-

a Ideoque Celſus lib. 5. cap. 26, ante omnia ſcire medicum oportere, quæ vulnera inſanabilia ſint, quæ difficilem curationē habeant, quæ prōptiorem. Eſt enim prudētis, primum eum qui ſervari nō poteſt, nō attingere, nec ſubire ſpem eius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ponuntur, quibus morituros certo præcognoſcere licet. Sed antequam circa hæc verſamur, utile me facturum arbitror, ſi quaſdam cauſas propoſuero, à me longo uſu obſervatas, propter quas ægri ex capitis vulnere moriantur: *a* quas ad quatuor præcipua capita redigere conſuevi. Quidam enim ob vulneris magnitudinem, & cerebri concuſſionem pereunt, quæ lethalia valde appellantur: quibus graviſſima ſtatim à principio ſymptomata coniuncta ſunt, *b* vertigo ſcilicet, caligo, caſus, obmuteſcentia, mentis alienatio, oblivio, bilis vomitus: pereuntque hi ut plurimum ob morbi magnitudinem ante quartum aut ſeptimum

a Quatuor modis interire vulneratos contingit.

b Hæc ſigna ſunt & diagnoſtica vulnerati cranii & prognoſtica mortis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ptimum diem. Secundo pereunt ægri icto capite, ob curantis imperitiam, eo quod aliquid prætermittat, quod feciſſe neceſſe fuerat, ut ſi circa initia plagam dilatare, ad oſſis fracturam introſpiciendam & curandam, prætermiſerit, fiſſam, colliſamque calvariam fuiſſe, ignorarit, & ſaniem contrahere permiſerit, quaſi nulla ſectione opus fuiſſet, nullam totius corporis rationem habuerit, quod ad victum, purgationem, & venæ ſectionem attinet, vel aliquid temere commiſerit, *a* ut ſi, oſſis fracti partibus cũ violentia divulſis, membranam male affecerit, futuræ terebram vel ſcalprum adhibuerit, acriorique medica-

a Nõ violenter ſunt oſſa divellenda: quin & in ſquammarum detractione, aut oſsis cariati, expectandũ naturæ auxiliũ, dum oſſa ipſa, veluti ad maturitatem deducta, ſponte propellere incipit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

mento, quo inflammatio excitatur, plagam curaverit, oleum, oleoſaque diutius adhibuerit, locum affectum operimentorum copia ita obruerit, compreſſerit, calefecerit, ut non ſolum plagam, ſed & totum caput inflammatione affecerit: imperiti enim dum aëris frigiditatem metuunt, neſciunt (ut diximus) ad medium pervenire ac in eo perſiſtere, ſed in extremum præcipites abeunt; quo fit ut inflammatione oborta, curantis vitio ægrum periiſſe, facile diiudicare poſſit. *a* Tertio, pereunt interdum, levi quamvis vulnere, ſua culpa, quod corpore vel animo graviter delinquant. Corpore quidem, ut ſi vinum iniuſſu medici

a Quare non ſatis eſt ſuum feciſſe officium, niſi ſuum ægrotus, ſuum aſtantes fecerint: ſintque externa rite comparata. aphoriſ. 1. ſect. 1.

dici bibant, venerem exerceant, calidos odores olfaciant, cibo ſe nimis repleãt, caput frequẽter dimoveant, quaſi loco ſtare nequeuntes. Animo autẽ delinquunt, ſi, ab inimico læſi, iracũdi ſunt, ac de vindicta continuo cogitent, eam denique ob cauſam vigilent, & ob animi motum bilis in corpore agitetur, quæ laboranti particulæ, totique capiti cõmunicata, intemperiẽ adferat: non minus enim afficitur capite ictus, ob continuas mentis cogitationes, quibus animales ſpiritus incaleſcunt, quam affici ſoleat, qui genu vel pede vulneratis, corpus vehere, curſumve exercere contendat. Nonnulli etiam adeo ſibi timent, ut ſtatim ab accepto

ictu, animo proſternantur, omnemque ſalutis ſpem abiiciant, & nihil aliud cogitent quam mortem ipſam. quæ res quantam in morbis vim habeat, nemo eſt qui ignoret. Si enim in quovis morbo, bene ſperare maximum eſt ad ſalutem indicium, ita & deſperare morituri præcipuum eſt ſignum. Hinc igitur colligite, prædicendo ſapientiam. Nam raro in prædicendo decipiemini, ſi, meticuloſos, iracundos, temerarios, medicis minime obſequentes, proque arbitrio viventes, in maximo verſari diſcrimine, prædixeritis, quanvis ipſius vulneris ratione, id metuendum non fuiſſet: malo enim ipſe gravius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

vius ictum curare, qui ſapiens ſibi moderetur, infortuniaque æquo animo ferat, quam imprudentem, ac timidum, leviori quamvis vulnere affectum. Quarto & poſtremo ægrotos interdum ex levi capitis vulnere periiſſe obſervabitis, non propter cerebri læſionem, vel calvariæ gravem fracturam, vel quod in curatione medicus, vel ægrotans deliquerit, ſed à cauſa quadam recondita, niſi quis ſedulo animum adhibeat. Quod quidem duobus modis accidere poteſt. Vel quod æger natura, aut ex accidenti malis *a* ſuccis refertum corpus habeat, qui quidem ab acceptis vulneribus, quaſi tumultuarii milites, in partem læ-

a Quantum nocet cacochymia in aliis affectibus, tantum & in vulneribus nocua eſt.

ſam & debilem ita irruunt, ut nulla arte, vel conſilio, quacunque medicus utatur providentia, reſiſtere valeat. Accidit etiam, ut quis naturali temperamento ſatis bono ſit præditus, nihilominus vel ob errata, in victu *a* & in cæteris commiſſa antequam vulneraretur, vel ob gravia animi accidentia, quæ præceſſerint, præviam quandam diſpoſitionem acquiſiverit, ut nullo quamvis accedente vulnere, in gravem admodum incidere ægritudinem proclivis eſſet: eodem vero vulnerato, humores illi pravi, ob iram vel metum agitati, ad affectam particulam confluunt, inflammationemque inevitabilem excitant, quãvis (ut diximus) nec grave

a Multi poſt longâ venerem, alii egregie poti, nonnulli poſt graves & diuturnos labores vulnerantur: quæ omnia detrahunt de bono in curatione ſucceſſu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

ve vulnus, nec medici, nec ægrotantis errata, ad perniciem concurrant. Cogitate igitur, obſecro, quam oculatum, quam providum, quam diligentem oporteat eſſe medicum, in interrogandis & præcognoſcendis ſingulis quæ ad rem attinent, ut inde prædicendi normam eliciat, nihilque negligat, nihil temere pronunciet. Sed ad rem redeo. Cui mors, inquit, ex capitis vulnere imminet, certa quædam contingunt, quibus perſpectis facile liceat futura prædicere. Si quis enim fiſſum os, vel colliſum, vel aliquo modo ruptum, non raſerit, neque aperuerit, quaſi nulla ſectione ſit opus, ſaniemque fractura in abſcondito contra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

hat, & ad membranam deſcendat, febris hominem corripit hyeme plærumque ante decimumquartum, æſtate poſt ſeptimum. quæ quidem febris, quamvis author id prætermiſerit, cum rigore fere ſemper invadit, imo cum rigoribus inordinatis, ut eadem die, magna ex parte, tres, quatuorve, & plures acceſſiones habeat, quod nulli febrium generi accidere ſolet. a Adde quod nauſeabundi fiunt, vel vomitu etiam corripiuntur, propter communicatam ventriculo læſionem: non raro nugantur, delirant cum riſu, nequeunt loco ſtare, tota nocte vigilant, alii quaſi ſopore correpti decumbunt: vulnus mali coloris redditur, ſanies mo-

a Sextum nervorum par membris nutritionis inſeritur, ideo læſo cranio per conſortiũ nauſea & vomitus ſequuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

modica effluit, & plærumque male olens: languent, & nullo tumore *a* prædita ſunt labia, & quaſi ſalſitæ carnis effigiem repræſentant. quæ omnia indicant, innati caloris extinctionem, vel ſaltem calidum innatum, adeo ad præcipua membra collectum eſſe, ut partium extrinſecarum cuſtodiam habere nequeat. os præterea denigratur, exuſti à calore extraneo humidi pinguis indiciū. poſtremo ubi iam omnino moritur æger, ſubpallidum, vel albidum redditur. Si vero anteriorem partem vulnus occupet, eiuſdem partis oculus intumeſcet: oppoſiti autem lateris pleriſque cervix dolet, & in eiuſdem paralyſim tandem incidit, quę-

a Hinc aphoriſ. 66. ſectionis 5. ſi in vulneribus pravis & magnis tumores non apparent, ingēs eſt malum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

rente nimirum natura locum, tum per viam oculi, tum per ſpinalis medullæ progreſſum, quo materiam, qua cerebrum afficitur, quaſi critice exonerare poſſit. & horum plærique undecimo, alii vero decimo ſeptimo, vel vigeſimo pereunt.

TEXTUS.

VErum ubi intelligis, febrem invadere, vel aliquod aliud ſignũ languenti ſupervenire, nihil ceſſare debes, ſed os uſque ad membranam ſecare, vel ſcalpro radere: facile autem ſecatur, & facile raditur: in cæteris vero eam curationem admovere, quam idoneam iudicabis; quod fit intuitu.

COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

COMMENT.

a HOrum ſymptomatum ſi quod, vel plæraque, languentem corripuerint, non eſt cunctandum, ſed prędictione præmiſſa, quod ſpes in anguſto ſit repoſita, ſatiuſque ſit anceps remedium, quam nullum, calvaria protinus ad membranam uſque eſt perforanda. tuto enim id fit; quod fere inter membranam, & calvariam ſanies collecta reperiatur: nec magno negocio id perficitur, oſſe propter ſuppurationem molliori reddito. Calvaria perforata, ſi membrana inflammatione correpta, & cum renixu tumens reperiatur, roſaceo perfundenda

a Non incommode forte hic conſiderandum, quod dicit Gal. 6. meth. Cũ, inquit, unus atque alter homo occurriſſet mihi, habens ſincipitis atq; temporis os confractũ: equidem ſuperius, hoc eſt, ſincipitis os exemi: à temporali autem abſtinui: cui callum inducendum curavi. Nec infeliciter ceſſit nobis negotiũ. Ex quibus colligo, non paſſim ſecandum cranium, ſi non in hoc modo propoſito caſu, ſaltem in quibus prava illa ſigna non apparent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

denda eſt, & lenienda, donec detumeſcat. ſin autem, quod ſæpius accidit, denigrata, corrupta, vel ſordida reperiatur, mulſo curanda eſt, quod ex vino dulci generoſo ad libræ pondus, & mellis albi puriſſimi unc. duabus conficiatur, & tepidum per ſpongiam infundatur, ad putredinem abluendam: dein decerpta filamenta eodem madida membranæ ſuperponantur, reliquum vero vulneris abſtergente ſuperius deſcripto curetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Textus.

Ubi autem in vulnere capitis, ſive ſectio adhibita ſit, ſive non, nudato oſſe tumor rubicundus, & ad eryſipelatis naturã accedens, in facie, atque oculis, vel utriſque, vel alterutro, oriatur, iſque tactus doleat, febris item ſuperveniat, & gravis horror; ulcus vero, quod ad carnem pertinet, recte habere videatur, os, & quæ iuxta ulcus ſunt, recte procedant, excepto faciei tumore, cui nullus alius error in victus ratione adiiciatur: alvus homini ducenda eſt, dato medicamento, quod bilem moveat. Poſt quam purgationẽ febris ceſſat, tumor finitur, ſanitas reſtituitur. Sed quũ medicamentum datur, æſtimandæ ſunt vires hominis quantum valeant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

COMMENT.

PRoponit author aliud ſymptoma, eryſipelas ſcilicet, vulnerato capite, in facie, atque oculis ſuperveniens. cui ſi nihil aliud adiungatur mali, de ægri ſalute adhuc ſperandum eſt. minus enim negocii, eryſipelas prębet, quam inflammatio, quæ quum à bono ſanguine originem habeat, evaporare nequit; ſicut materia faciens eryſipelas, ſed intus efferveſcens, ac tandem putreſcens, membranis & cerebro communicatur, ac inde mors ſequitur. Adveniente igitur eryſipelate in facie, atque oculis, cum febre, atque horrore gravi, quemadmodum in ter-

tiana

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

tiana febre accidere ſolet, non erit admodum verendum, iis tamen notatu maxime dignis conditionibus. *a* Primo ut ulcus, quod ad carnem pertinet, recte habere videatur, ſcilicet medico prudenti & non imperito: præterea os, & quæ iuxta ulcus ſunt, recte procedant, excepto faciei tumore: quaſi dicat, non eſt ſatis, carnem recte habere, ſed etiam opus eſt, ut os denudatum, ſit præditum naturali calore, *b* non lividum, non nigrum; quod partium internarum inflammationem demonſtraret. Adhæc & quæ iuxta ulcus ſunt, non minus recte procedant, nullo ſcilicet tumore ſint affecta, nullo ad con-

a Modo ulcus probe habeat, non eſt quod deſperet peritus medicus, eryſipelate adveniēte.

b Laudabilis ulceris ſigna.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

tactum dolore, nulla denique inflammationis nota apparente, præter eam quæ in facie & oculis conſpicitur: nam ex his facile oſtenditur, ſanguinem bilioſum, qui in eo corpore peccabat, quaſi critice ad faciem expulſum, evaporaſſe, membranaſque & cerebrum minime in conſenſum traxiſſe. Adiicitur præterea, quod nullus alius error, in victus ratione committatur. quaſi innuat, ſi in huiuſmodi ſanguinis bilioſi prædominio, cum febre, & horrore gravi, æger in victu aliquo modo delinqueret, de ſalute hominis valde ſuſpicandum fore: ſed ſi nihil peccet, nullumque aliud patiatur accidens lethale, de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

de ſalute ſperandum, ſi poſt purgatam bilem, tumor, & febris deſierint. Ut igitur eryſipelatis cauſam tollamus, conſulit dandum eſſe medicamentum cholagogum. non eſt tamen ſatis eduxiſſe bilem, niſi ſimul victus ratione frigida, & humida, humorum fervorem compeſcamus. propterea ſi nihil prohibeat, ptiſana hordeacea in cibo offerenda eſt, &, ſi nihil aliud mali lateat, æger in dies melius ſe habet, à febreque immunis evadit. quod mihi aliquando felici cum ſucceſſu, capitis plagas curanti, contigit. *a* animadvertendum tamen eſt, ne partibus eryſipelate affectis, repercutiens medicamentum adhi-

a Etſi fluẽtis materiæ principium indicet repercuſsionem, incipiente tamen eryſipelate, ob vulnus non eſt repercutiendũ, ne materia in ipſum repat, & graviora ſuſcitet. 6. aphoriſ. 25.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

adhibeamus: eryſipelas enim extra verti, bonum: ſed vel nihil admovendum, vel aliquid quod leniat, & facilem magis evaporationem reddat, ut violaceum, aut amygdalinum recens: ſtudioſe tamen cavendum eſt, ne oleum in oculos deſtilet, & morſum inferat.

TEXTUS.

SUper ſectione vero, quando neceſſe ſit hominem ſecare, hoc obſervandum eſt. Quod ſi principio tibi curatione tradita ad ſectionem venias, os uſque ad membranam ſtatim excedere non debes, quum non expediat, detracto oſſe hanc diutius patefactam relinqui, ut quæ graviter læderetur, & tandem putreſceret, atque hebes fieret. Aliud item

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

item periculum ſubeſt, ſi ſectum os ſtatim à membrana evellatur, ne ſerra in ipſo opere membranam laceres. Verum in ſectione id obſervandum eſt, ut, ubi parum iam eſt id, quod ſecandum ſupereſt, iamque os labat, ex opere te recipias, ſinaſque ut os per ſe abſcedat. nam oſſi, quod ſectum eſt, & ſine ſectione relictum, nihil ſupervenire mali poteſt. tenuatur enim iam quod relinquitur. In cæteris ea curatio admovenda eſt, quæ conferre ad ulcus videbitur. Iam vero dum ſecamus, [a] ſerra ſubinde recipienda eſt, & in aquam frigidam demittenda. calefacta enim dum circumagitur, calefaciendo ſiccandoque os adurit, efficitque ut plus abſcedat eius oſſis quod ſectionem complectitur, quam abſceſſurum eſſet. Quod ſi

a Serram vocat id quod vulgo terebella aut modiolum dicitur, factum quidē inſtrumentū ad ſimilitudinē illius quo fabri dolia & ligna perforant.

os protinus excidere uſque ad membranam velis, deinde ipſum eiicere, ſubinde ſimiliter recipienda ſerra eſt, & in aquam frigidam demittenda. At ſi inter initia non acceſſeris, ſed homo alteri prius traditus minus tempeſtive tibi committatur, acutiori ſerra excidere os protinus uſque ad membranam convenit. ſubinde autem attollendum ferramentum eſt, & tum alia via, tum demiſſo ſpecillo eius circuitus conſiderari debet, quia citius exciditur id os, quod pus contraxit & ipſum transfundit, ſæpiuſque os ſummum invenitur, præcipue ſi plaga ea parte capitis fuerit, qua os magis tenue eſt, quam craſſum; quod ne te lateat, caveto, quum ſerram adhibes. Perpetuum vero ſit qua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

os craſſiſſimum videbitur, ſerram imprimere, ſubinde conſiderare, tentareque, dimovendoque os demere. Reliqua curatio talis convenit, qualem vulnus deſiderat. Quod ſi principio ad curationem adhibearis, veliſque os excidere, & à membrana detrahere, æque, ſpecillo demiſſo, ſerræ circuitum conſiderato, & perpetuo, qua os craſſiſſimum erit, ſerram imprimito, dimovendoque eiicere os nititor. At ubi terebra uteris, cave ne uſque ad membranam penetret, ſi principio per terebram curationem aggredieris, (ſed quemadmodum in ſectione oſſis propoſitum eſt) tenuem oſſis partem relinque.

Com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

COMMENT.

UT nihil ab Hipp. prætermiſſum fuiſſe intelligatis; quod ad rectam manus operam, in qua univerſa curationis vis eſt repoſita, attineat, circa operis finem, quædam adiecit præcepta. quorum præcipuum illud eſt, ne in calvariæ terebratione, quæ circa initia adhibetur, membranam prorſus oſſe denudatam relinquamus. nam diutius aëri expoſita putreſcit. quod ex oſſe, tamen relinquitur, exiguum ſit, & facile moveatur. quaſi dicat, ſit ſpacium, *a* & via ſufficiens, qua, quidquid excrementi calvariæ ſubiicitur, expurgari nihilominus queat. tenuiſque illa oſſis par-

a Hinc colligere liceat, ampliora & latiora vulnera minus habere periculi, quam ſtricta, modo dura mēbrana illæſa ſit: nam locus patens, exitū præbet ſaniei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

particula naturæ committenda eſt, ut eam ſponte abiiciat. in cæteris vero quod ad curationem attinet eadem eſt ratio. Sin autem aliquot dies abierint, graviaque ſymptomata ſupervenerint, quæ collectam ſub calvaria ſaniem demonſtrent, ſtatim aperiendum eſſe conſuluit. nullum enim tunc lædendæ membranæ ob interpoſitam ſaniem diſcrimen imminet, eamque facile expurgari poſſe expedit, & medicamenta infundi. Poſtremo illud tanquam magnum habens momentum, ſæpius admonuiſſe voluit, ut inter terebrandũ, inſtrumentum aliquando recipiamus, & in frigidam immergamus. ſatis enim unicuique perſpicuum eſſe po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

teſt, ex diuturna terebræ & oſſis attritione igneum calorem excitari. nam calvaria tenuiſſimis ſibi nexibus mēbranam coniunctam habet, & ob id eiuſdem flammæ facile ſuſceptibilem. Non eſt tamen terebratio hæc, ut quædam alia opera, quæ ad manum attinent, celeriter adminiſtranda, ne ipſa celeritas, ſubiectam calvariæ membranam violet, eoque magis, quo nullus in hoc opere dolor excitetur. *a* idcirco docet, attollendū eſſe frequenter inſtrumentum excitati in oſſe caloris occaſione, tum etiam ut ſpecillo exploremus, an ad ipſam meningem adhuc ventum fuerit. quod quidem etſi in ſano oſſe facilius cognoſci poſſit,

a Hic velim monitos eſſe tirunculos, ut frequēter ſeſe exerceant in terebrādis demortuorū calvariis. Loco duræ matris ſupponentes chartā papyraceā, ut ea tanquam ſagittariis meta propoſita, ſecuriores in ſedulo perficiēdo opere iuniores reddat, ſi quādo cogat neceſsitas. nam experientia periculoſa, ut monet Hip. apho. 1. ſect. 1.

poſſit, propter poſtremæ laminæ duriciem, corruptum tamen ob contractam ſaniem, minori negocio perforatur, quam quiſpiam crediderit: non deſunt tamen terebrarum genera à poſterioribus inventa, quæ quod à ſemicirculi figura parum recedant, membranam violare nequeunt, quum ad eam proxime ventum fuerit. Partium denique ſingularum eſt habenda ratio. nam aliæ robuſtiori, aliæ imbecilliori oſſe ſunt præditæ. A ſuturis deniq; recedendum eſt. Sed hæc pro divini operis expoſitione quam breviſſime dicta ſint.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

De CONTUSIS PUERORUM CAPITIBUS *prætermiſſa ab Hip.*

SUpereſt, ut de contuſis puerorum capitibus, ſine vulnere, oſſe colliſo, & ſanguine è vaſis fuſo, eorumdemque curatione, ab Hipp. prætermiſſa pertactemus. Et quoniam ſæpe accidit, ut infantes, & pueri, propter capitis molem, tibiarumque imbecillitatem, ex alto præcipites cadant, graveſque interim contuſiones capitis experiantur: idcirco opportunum duxi, huius frequentiſſimi affectus rectam curandi rationem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

nem, mihique diu compro-
batam tradere: eoque magis,
quod ipſe, quum iunior eſ-
ſem, minuſque exercitatus,
ſuſpicarer aliquãdo, ne *a* ſan-
guis ſub cute fluctuãs putre-
ſceret, & ad membranam
deſcenderet: idcirco ſectio-
nem cuti interdum adhi-
bens, ut ſanguis educeretur,
in maximum diſcrimen per-
duxi. Poſtquam vero longo
rerum uſu, ſum oculatior
effectus, à ſectione omnino
abſtinendum eſſe conſtitui.
nam ob effluentem ſanguinis
copiam reſolvuntur vires, &
ſectionis occaſione fluxio
excitatur, clamitant pueri,
& ex clamore & gemitu ve-
næ capitis turgent, & in-
flammatio ſubſequitur, tan-
demque ipſa mors. Quare

a Sanguis enim præter naturam in cavitatem aliquam transfuſus, ut corrumpatur neceſſe eſt: ut habet aphoriſ. 20. ſect. 6.

 me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

medicamentis tuto, nec magno quidem negocio, graves colliſiones fœliciter ad ſanitatem reſtitutæ, infra ſcribenda curandi ratione, ſi ab accepta protinus contuſione abraſo capillo multiplex linteum, ovi albo, aceto, & roſaceo permixtis, madidum admoveatis, ac ſuperdeligetis, totoque die naturali ita madefieri extrinſecus linteum iubeatis, ut exſiccari non permittatur. ſint tamen æſtate frigida, hyeme tepida: ſic enim humorum confluentium impetus prohibetur, & aliqua ex parte reſolvitur: ſequenti vero die, ſubſequens cataplaſma ſuperdandum eſt, quod habet roſarum rubearum pulveriſatarum, foliorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

rum & baccar. myrti an. unc. ij, farinæ fabar. hordei an. unc. j, abſynthii, betoni. pulveriſatorum an. unc. ſemis, cymini pulv. drach. j, mellis albi unc. ij: cum vino nigro auſtero fiat cataplaſma, cui adde olei roſ. camomil. an. unc. j, ceræ q. ſ. Hoc medicamentum certe benedictum bis ſingulo die tepidum admovendum eſt, ut non ſolum contuſam partem, ſed etiam circumſitas complectatur: ſitque eius quantitas quæ una vice adhibetur mediocris. Si enim ſit exigua, parum habet virtutis, & à partis calore facile exſiccatur. ſi multa; locus affectus comprimitur. Eodemque medicamento uſque ad no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

num vel undecimum diem perſeverandum eſt. In dies enim ſingulis partem detumeſcere, collectum ſanguinem reſolvi, contuſamque calvariam, ad priſtinum habitum, naturæ & artis beneficio perduci conſpicietis. Neque eſt quod quis vereatur, ſanguinem ſub cute collectum in pueris concreſcere, vel corrumpi. nam præ tenuitate, & caloris innati copia, cutiſque raritate, neque corrumpitur, nec in grumum vertitur, ſed à medicamento per poros cutis evaporans abſumitur, & exſiccatur, interdumque guttulæ evaporati humoris ſuper cataplaſmate conſpiciuntur. Quum vero undecimus dies præterierit, em-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

plaſtrum diapalma Gal. corio tenuiſſimo illitum, ſuperdandum eſt, ac tertio quoque die permutandum. Poſt vigeſimum vero ad reliquias humorum abſumendas, & colliſam calvariam in ſuam ſedem reſtituendam, barbarum emplaſtrum illitum corio adhibeatis. & quamvis humoris ſub cute collecti diſſolutio diutius protrahatur, fœlicem nihilominus exitum habent. cavendum tamen interim, ne inedia illos maceretis, ſed alimentum ætati ſufficiens concedite, dum tamen vino ſibi temperent. Neque vereamini vulgarium & imperitorum iudicia. Cucurbitulas etiam, ut multi faciunt, ne admoveatis. nam quam-

Aliquid condonādū ætati, & conſuetudini, aphor 2. ſect. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

vis derivationis ratio id po-
ſtulet, plus tamen ex iis in-
commodi, quam utilitatis,
ſequitur: clamant enim, ex-
agitantur, & inflammantur
pueri, ex ſolo conſpectu cu-
curbitularum, ſed frictioni-
bus, vel balneo earum vice
uti licebit. Eadem deni-
que curatio pueris recens na-
tis opportuna eſt. nam plæ-
rumque, vel ob magnitudi-
nem capitis, vel quod ma-
ter ſit primipara, magnas in
locis muliebribus contuſio-
nes patiuntur, ex quibus
magni tumores, ſanguine
pleni, excitantur: convenit
tamen illis ſimplicior cura-
tio; nam ſolo diaphœnici-
no ex roſaceo confecto, af-
fluxi humores diſcutiuntur,
naturæque beneficio col-
liſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

liſa calvária in priſtinum re-ſtituitur. Sed de his ha-ctenus, ad laudem indivi-duæ Trinitatis, cui ſit ho-nor & gloria in ſeculorum ſecula.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 F 21 [1]